JOHAN-HENRICI
ALSTEDI

ORATOR,

Sex libris informatus:

IN QVORVM

I. Præcognita.
II. Oratoria communis.
III. Epistolica.
IV. Methodus Eloquentiæ.
V. Critica.
VI. Rhetorica Ecclesiastica.

Accedit

Consilium de Locis Communibus rectè adornandis.

Herbornæ Nassoviorum. 1612.

25

D. O. M.

ILLUSTRI ET GENEROSO
DOMINO, DN. JOHANNI-
BERNHARDO,

ILLUSTRIS ET GENEROSI DOMINI,

DOMINI JOHANNIS-THEODO-
RI à KUNOWITZ, BARONIS IN
OSTRA, KUNOWITZ ET LAUKA,
JUDICII PROVINCIALIS IN
MORAVIA ADSESSORIS
FILIO UNICO ET
GERMANO,

DOMINO SUO PERBENIGNO

ORATOREM SUUM PERFECTUM

OFFERT, DICAT, CONSECRAT,

STUDII ET CULTUS MONIMEN

JOHANNES HENRICUS
ALSTEDIUS.

Bibliothek d. Ev. theolog. Seminars · Herborn (Nassau) ·

ILLUSTRIS ET GENEROSE DOMINE BARO:

ORatorem meum, quem perfectum voco, imitatus hâc in parte Ciceronem, visum mihi in lucem dare denuò, sed novam vestem indutum: idque sub tutelâ nominis tui. Causam habui duplicem. Prior est, quia lucem aliquam huic scriptioni conciliare conatus sum à luce tui generosi nominis. Quidni lucem dicam? Sicuti enim luna interigneis minoreis: ita inter generosos micant, qui literas humanitatis & pietatis docti sunt. Tantum scilicet abest, ut studia literarum dedeceant vestri ordinis homines, ut singulare potiùs iis afferant ornamentum & decus eximium; undenon inscitè poëta:

Marte sagoq́, valens rutilat ceu Cynthia Luna:
Arte togaq́, valens rutilat ceu auricomus Sol.

Quare sicut Luna lumen quidem habet ingenitum, sed & mutuatitium habet, & hoc illo excellentius: ad eundem modum generosi homines ingenitum habent, quo aliis præcellunt, ornamentum, cui tamen accessio fit à sole illo literaturæ sobriæ, cujus tres sunt radii, Sapientia, Pru-

dentia, & Eloquentia. Hisce enim radiis colluſtrantur hominis intellectus, voluntas, & lingua: imò & ſinguli vitæ humanæ ordines iisdem colluſtrantur radiis. O itaq; verè magnum & generoſum & heroicum pectus tui Domini Parentis, qui te (nempe Philippus Alexandrum Magnum) ſtudiis illis totum conſecravit, emancipavit! O quoque verè magnum & generoſum & heroicum pectus tuum, Generoſe Domine Baro, qui non reluctaris voluntati Illuſtris & Generoſi Domini parentis, ſed id unicè das operam, ut ſatisfacias illius expectationi, adeoq; menſuram generoſi tui nominis impleas! O, inquam, beatos vos, patrem & filium! Sed ô quoque beatos veſtros ſubditos! Quidni beatos? Verè enim tum beatas fore Respublicas judicavit Plato, ingenii ille & doctrinæ Princeps, ſi aut docti & ſapientes homines eos regere cœpiſſent, aut qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrinâ ac ſapientiâ collocaſſent. Macte itaque Generoſe Dn. Baro, & quam ſemel ingreſſus es virtutis viam, calido affectu calcare, ut facis, perge. Cumprimis autem ſtudio Oratorio, Politico, Hiſtorico te dede. Ita fiet, ut domum reverſus te tuaque approbare poſſis & Domino Parenti, & ſubditis. Atque hæc eſt altera cauſa hujus meæ compellationis. Perſuadeo enim mihi, fore ut aliquid ſaltem utilitatis ad Generoſitatem Tuam è lectione hujus libelli redeat. Scio quo affectu propendeas erga orato-

oratoriam facultatem. Scio quem in illâ feceris profectum. Eximia quà publicè, quà privatim apud nos edidisti specimina, non affectus dico erga hanc, sed tui in eâ, quam laudo, facultate, profectus. Publico uterque dignus præconio. Affectus quidem; quia in generosis hodie rarò illum est videre. Profectus autem; quia ille in iisdem si sit, magnus est & heroicus. Nescio enim quo fato fiat, ut heroica ingenia aut insigniter in bonis excellant, aut insigniter malis studiis & factis nobilitentur. Jam nihil dicam de benivolentiâ, quâ T. G. in me utitur insigni. Quo meo merito? Nullo, fateor: sed instinctu humanæ naturæ, quæ, propè dixerim, propriè tua est. Quod eò majus beneficium interpretor; quia nuper admodum literis ad me scriptis benivolentiæ in me tuæ constantiam testatam sat abundè feciſti. Quare ut quale quale meæ gratitudinis, addo studii & cultus mei, erga T. G. extet testimonium, ecce hoc levidense munus T. G. capiat eâ, quâ me solet, fronte. Oratorem, inquam, meum: novum & veterem. Novum dispositu & recensione; veterem compositu. Sed Oratorem perfectum tamen. Te Generose Domine, illi tutorem, imò patrem advoco & patronum. Tange, tolle expositam hanc prolem, & Generosi Tui nominis scuto defende, contra maligni livoris dentem. Posse T. G. id præstare, norunt juxtà mecum omnes, qui eam è conversatione norunt.

Velle autem, mihi promittit benevolentia, quâ solitus es meam dixi modò, complecti. DEUS, rerum humanarum arbiter, faxit, ut T. G. illustre Ecclesiæ, cujus bono te natum esse puto, lumen, & firmissimum literarum, quibus hodie non habetur honos, columen evadat, Parentis denique solamen, & subditorum nutritius felix, pius. Ita voveo. Dabam Herbornâ: Kal. Martiis Anno cIↃ IↃ c XII.

T. G.

deditissimus

JOH. HENRICUS ALSTEDIUS.

JOHAN.

JOHAN-HENRICUS ALSTEDIUS

Lectori S. D.

SUnt, *qui dicendi peritiam literarum ſtudioſis plus afferre gloriæ & emolumenti, quàm rerum cognitionem exiſtimant: eò quòd plus ſit conſideratè agere, quàm ſapienter & prudenter cogitare. Eſt itaque omnino præclarius doctè loqui, quàm doctè ſentire: propterea quòd fieri poſſit, ut quod quis rectè ſentiat, non poſſit eloqui: rectè autem non ſentire non poſſit, qui poteſt eloqui. Quamobrem præclarum quiddam in literis videtur adeptus eſſe is, cujus ſcientia ſplendore orationis ſic illuſtrata ſit, ut oratione, qua homines beſtiis præſtent, hominibus ipſis antecellat. Hoc autem quî poſſimus viâ quâdam regiâ & compendiariâ aſſequi, anxiè quæritur. Mihi quidem videtur, præceptis & exemplis eſſe opus, ita tamen ut præcepta pauca, exempla quamplurima tradantur. Longum enim eſt, ait Seneca, iter per præcepta, breve & efficax per exempla. Præcepta itaq; oratoria omnino cognoſcenda ſunt illi, qui in hâc facultate, non dico excellere, ſed infra mediocritatem expeditus eſſe cupit. At qua-*

lia præcepta, inquiat aliquis, tu nobis commenda? Multa enim à multis tradita commemini? Num Ciceronis? At ille tumultuario scripsit ordine? Num Quintiliani? Ille non satis plenè. Num recentiorum, Voëlli, Cypriani Soarez, Junii, Treutleri, Keckermanni? Sed hi vel confusè, vel imperfectè, vel nimis prolixè scripserunt? His responsum volo, omneis illos & singulos esse legendos; quibus addi velim Aphthonium & Hermogenem, & Ciceronem Germaniæ nostræ disertissimum, Johannem Sturmium. Hos ita oportet legere, ut in singulis notentur rariora atque illustriora monita, quæ ad locos hosce communes & titulos oratorios juxta hanc nostram methodum disponendos referantur. Hoc enim fine meditatus sum hos ORATORIÆ *libellos: in quibus universum præceptorum oratoriorum apparatum ex optimis quibusque oratoribus congestum videre licet iis, qui caput non gestant in calcaneo.*

LIBER

LIBER PRIMUS

De PRÆCOGNITIS ORATORIÆ FACULTATIS.

ORatorem informamus præcognitis, & præceptis.

Præcognita Oratoria sunt anticipata cognitio, de Oratoriæ facultatis natura & studio.

Natura Oratoriæ facultatis cognoscitur ex ejus utilitate, & designatione sedis in Technologiâ.

Utilitas ejus pendet à laude & utilitate eloquentiæ; quæ talis summatim desumitur ex Ciceronе: Eloquentiâ homo maximè differt à brutis, homo ab homine; est præclarum ingenii lumen, est sapientiæ comes ac ministra, affert honores & præmia, plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima studia pariat (ut quidam legunt) locat homines in amplissimo dignitatis gradu.

Sedes Oratoriæ facultati assignanda est, ut ejus cum aliis artibus convenientia & ab iisdem differentia innotescat.

Convenientiam habet maximam cum artibus Logicis, itemq; cum Politicâ & Historicâ.

Differentia ejus sic explicatur à Scaligero exerc. 1. s. 3. Ne Rhetorica quidem cum Oratoriâ eadem est. Quippe ars Rhetorica orationi ornatum atque vim apponit ad persuadendum. Oratoria est facultas, utens illius instrumentis. Oratoria est politiæ pars, Rhetorica verò λογικῆς, cujus tertia portio Grammatica est. Qui enim hinc excludant ipsam, quia usu comparatur, oppidò falluntur. Siquidem usu quoque oramus, usu argumentamur. Cæterùm usus incertus certis legibus castigatur: quæ leges solâ possunt arte constitui. Sic Scaliger: cujus sententiam probamus, exceptis his verbis: Oratoria est politiæ pars: hæc obelisco critico sunt configenda. Etenim Oratoria est ars, politia prudentia. Illa ποίησιν, hæc πρᾶξιν sibi habet propositam. Non infitemur, Oratoriam cum historicâ & politicâ magnam habere affinitatem: sed politiæ partem non constituimus. Notentur igitur seqq. theoremata pro vera sententiâ.

1 *Disciplinæ sunt, vel objectivæ, vel directivæ.*

2 *Objectivæ sunt partes philosophiæ, quæ determinatum objectum explicant:* quales sunt omnes sapientiæ, scientiæ, & prudentiæ.

3 *Directivæ sunt instrumenta Philosophiæ:* quales sunt artes, quæ dicuntur organicæ seu instrumentariæ, hoc ordine: Mnemonica, Lexica, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Oratoria, Poëtica.

4 *Oratoria utitur instrumentis artium antecedenti-*

dentium, & è disciplinis objectivis res precariò sumit. Rectè enim Cicero l.1.de Orat.testatur, eloquentis esse, vicinam atq; finitimam ejus (intelligit oratoriam facultatem) Dialecticorum scientiam assumere.

Et hæc de naturâ oratoriæ facultatis: studii, quod illi impendi debet, ratio sequitur.

Studiosus itaque hujus facultatis observare debet tria, finem, impedimenta, & media.

Finis proximus, quem studiosus eloquentiæ intendere & præstituere debet, est tergeminus, acquisitio scilicet Sapientiæ, Prudentiæ, & Eloquentiæ: sive ut cum Erasmo loquamur, copia verborum & rerum.

Errant, & vehementer errant, qui sapientiæ & prudentiæ studia oratori negligenda esse clamitant. Si enim eloquentia est copiosè loquens sapientia, ut definit eam eloquentissimus Romanorum, quomodo sapientiæ studium non necessarium esse dicunt futuro oratori? Prudentiam etiam ab oratore requirunt omnes boni. Iccirco si orator est vir bonus, qui de omni re propositâ accommodatè ad persuadendum dicere potest, utique oportet conjungere sapientiæ, prudentiæ & eloquentiæ studia. Theoretica enim sapientiæ, practica prudentiæ, poëtica studia eloquentiæ nomine notamus, respicientes addecantatam illam philosophiæ divisionem in θεωρητικὴν, πρακτικὴν, καὶ ποιητικὴν.

Impedimenta, quæ ab isto scopo seu fine abducunt, sunt numero decem. 1. *Nimia, & immoderata studia.* 2. *Inordinata studia.* 3. *Nulla studia.* 4. Αὐθαδέστεια. 5. Δοξοσοφία. 6. Ταπεινοψυχία. 7. Μαλακοτεχνία. 8. Πολυπραγμοσύνη. 9. *Defectus præceptorum perfectorum & methodicorum.* 10. *Exercitationis oratoriæ, quæ manualis, quæ vocalis, intermissio.*

Hi sunt hostes studii oratorii, contra quos gnaviter depugnare oportet eum, qui in hâc facultate vel mediocriter, vel excellenter expeditus esse cupit.

Media sequuntur, quæ ad finem præstitutum, sepositis impedimentis, perducunt.

Ea sunt communia, vel propria.

Media communia sunt, ut & aliis in disciplinis, Præcatio, Labor, & Ordo.

Media propria sunt Natura & Cura oratoria.

Natura hîc maximè requiritur. Nulla enim ars est, ad quam plus naturæ requiratur, quàm Oratoria & Poëtica. *Sturm. de imit. l. 1. cap. 1. Keckerm. l. 1. Rhet. c. 1.*

Naturæ bona sunt vel animi, vel corporis.

In animo requiruntur tria.

I. *Prudentia:* seu ingenium politicum, quod nec nimis igneum seu cholericum, nec nimis tardum seu melancholicum.

II. *Memoria:* sine quâ nemo in hâc facultate eminere potest.

III. *In-*

III. Ingenium oratorium. Nam ſtudioſus eloquentiæ à natura non ſolùm habere debet ingenium philoſophicum, ſolutum ſcil. atq; expeditum & induſtrium, cujusmodi eſt Theæteti apud Platonem: ſed etiam (quod eſt caput rei) oratorium. Nam Cicero in M. Scauro & P. Rutilio non deſideravit philoſophicum, ſed oratorium in illis requiſivit ingenium. *Cic. de claris oratoribus.* Ingenii iſtius oratorii tres ſunt gradus: quorum primus eſt, inveniendi ejus, quod dicendum eſt: alter, dicendi ſolutè & ſuaviter: tertius condiendi ejus, quod dicendum eſt, voce, vultu, motu. *Sturmius de imit. l. 1. c. 1.* Hoc tale ingenium deprehenditur ex amore & impetu, quo quis fertur ad eloquentiæ ſtudium. Studioſus namque eloquentiæ afferre debet amorem, admirationem, & vehementem animi applicationem ad eas laudes adipiſcendas, quas in Oratore putat excellere; ut ſi non ſuperare, at quàm ſimillimus atque par eſſe videatur.

In corpore requiritur 1. Vocis ſonora, tarda & diſtincta ſuavitas. 2. Corporis gravitas & ſpectabilitas. Atque hæc naturæ bona in futuro oratore præſupponuntur, ſi non excellenter, ſaltem mediocriter.

Cura oratoria eſt vel artis, vel exercitationis.

Licet plurimùm natura valeat in hoc ſtudio: non minimùm tamen poteſt inſtitutio. Latent enim plerumque in homine naturæ ſemina, quæ

tanquam bona cultura, ſic ingenii conformatione atq; doctrinâ provocanda ſunt, & educanda, ut ad maturitatem atque ubertatem perveniant. *Sturm. de imit. l 1. c. 1. Voëll. l. 1. de orat. cap. 7.*

Cura artis valde eſt neceſſaria.

Falluntur enim, qui Oratoriam à Rhetoricâ & Logicâ non volunt diſtinctam: quum in Oratoria tradatur applicatio præceptorum Rhetoricorum & Logicorum ad materias oratorias. Itaq; præcepta oratoria ut neceſſaria, ita erunt pauca, & diſtincta à præceptis tam Rhetoricis, quàm Logicis.

Cura exercitationis præcognoſcitur hoc in loco: infrà cognoſcenda erit.

Præcognoſcitur autem ratione hiſtoriæ, bibliothecæ, & cathedræ oratoriæ.

Hiſtoria oratoriæ facultatis eſt de ejus periodis, & converſionibus. Hîc notandum, quòd de Oratoriâ Latinâ nobis ſit ſermo, non de Græcâ.

Oratoriæ ætas duplex eſt, vetus & nova.

Vetus eſt, quâ claruerunt priſci illi Latini Oratores.

Eſtq; prima, media & ultima.

Prima ætas, fuit linguæ Latinæ infantia ejusq; protaſis ſub 7. regibus per annos 246. Hæc non pervenit ad ſplendorem Latinæ facundiæ.

Secunda ſeu media fuit linguæ Latinæ epitaſis ſub conſulibus per annos 460. Hæc ætas genuit viros in lingua Latina maturos: in quibus facilè agmen & familiam ducit Cicero. *Tertia*

Tertia seu ultima vetus fuit linguæ Latinæ catastrophe sub Cæsaribus Latinis per annos 504: sub barbaris per annos 375. ad Carolum usque Magnum, & sub Cæsaribus Germanicis per annos 700, plus minus. Ibi aliquid, hîc nihil splendoris remansit.

Nova ætas est, quâ patrum nostrorum memoriâ floruerunt, & adhuc dum florent viri in oratoria facultate absolutissimi: qui sunt vel Ciceroniani, vel Philippistæ (ut vocat Cl. Taubman. in dissert. de ling. Lat.) vel Lipsiani.

Canones.

I. Texatur catalogus omnium Oratorum, qui revocari debent, singuli ad singulas ætates: ita ut sciatur quo quisq; tempore vixerit. Utile namque est, scire vitam, præsertim tempus illius authoris, quem legere cupimus. Utile quoque est, ut in aliis facultatibus, ita & in hac, uno intuitu videre summos viros, qui iis fuerunt dediti. Hac enim ratione inflammamur, dum videmus exempla præclarorum virorum. Hac, inquam, ratione & amor & admiratio nobis quasi instillantur: qui sunt vehementissimi adfectus ad aliquid discendum.

II. Omnes veteres Latini, si fieri potest, evolvendi sunt.

III. Quò melior quis author, eò plus operæ ac temporis in illo evolvendo collocandum est. Liebigius de verborum copiâ c. 3.

IV. Non ſimul, aut omni ævo, omnes authores Latini evolvendi ſunt: ſed discrimen aliquod & intervallum temporis obſervandum eſt: ita ut ſit lectio triplex, puerilis, creſcens & adulta. Lipſ. in Inſtit. Epiſt. c. 11.

V. In puerili ſolus Cicero evolvatur: ut corpus & contextus orationis primùm ſeriò formetur, uno quodam habitu & æquabili ſermonis filo. Alioquin hiulca, ſemper incompoſita, & è variis varia quędam ſtyli forma gignetur, nec ſatis ſibi conſtans: Lipſ. ibid. Tyroni igitur eloquentiæ illud Fabii ſubinde inculcetur: *Multum profecit, cui Cicero placet.* Præclarè etiam annotat Sturmius l. 1. de imitatione oratoriâ, Deum nobis reſervaſſe optimas Latinorum orationes, videl. Ciceronis, quũ aliorum monumenta bella barbarica, & incendia ſubitò, & ruinæ ſuſtulerint.

VI. Si tempus pro ingeniis definiendum; definitur in ſubtiliore aliquo annus, in obtuſiore biennium: è Lipſio.

VII. Creſcens lectio Ciceroni adjungat alios, eos nempe, qui à Cicerone minimùm abeunt: & qui copiâ, ſuavitate, fluxu dictionis referunt priſcam illam facilemq; naturam. Lipſ. d. l. & Goclenius part. 1. obſerv. ling. Lat. admon. 11. Tales æmuli Ciceronis fuerunt Manutius, Sadoletus, Bembus, atque inprimis Longolius in ſuis epiſtolis. Liebig. d. l. cap. 4. Ex iis diſcat Candidatus eloquentiæ,

quentiæ, quomodo illi sermonem suum ad sermonem Ciceronianum conformaverint.

VIII. Adulta & virilis lectio liberè exerat se, & vagetur per veterum atq; recentiorum scriptorum Latinorum omne genus: ita tamen ut omnia revocentur ad Lydium lapidem & cynosuram Ciceronianam.

Sic de historia oratoria facultatis: sequitur ejusdem Bibliotheca, quam sibi comparabit eloquentiæ studiosus: quæ consideratur quoad structuram & usum. Structura ejus ita habet: 1. Conquirantur omnis generis authores, ut sit satis superque instructa. 2. Distinguatur Bibliotheca in tres classes, quarum prima continebit scriptores qui methodum eloquentiæ tradiderunt, inter quos excellunt Sturmius, Voëllus, Cyprianus Soarez, Franciscus Bencius, Mel. Junius, Treutlerus, & Keckermannus. Secunda continebit Oratores Asiaticos, qui gaudent fusiore inventione, & densiore amplificatione. Tertia Laconicos, qui presso dicendi genere delectati fuêre.

Bibliothecæ hujus ita structæ usus his regulis explicatur:

1 *Emantur editiones & recentissimæ & mundissimæ.* Illæ enim maximè correctæ, istæ memoriam, elegantiâ typographicâ, juvant.

2 *Memoria localis in libris comparetur.*

3 *Editio Ciceronis Cl. Dionysii Gothofredi* J C. *in quarto omnibus aliis editionibus præferatur.*

Reſtat cathedra oratoria præcognoſcenda; ubi eloquentiæ ſtudioſum ſcire oportet, quî cathedram conſcendere, in ea manere, ex ea deſcendere debeat.

Cathedram conſcenſurus debet 1. *Eſſe animo imperterrito.* 2. *Valedicere affectibus.* Sin, fiet ut in medio orationis curſu quandoque ſubſiſtat & obmuteſcat, quemadmodum hoc Demoſtheni in legatione ad Philippũ accidiſſe legimus. Confer *Junium c.* 22. *artis dicendi.* 3. *Sapiùs domi periculum facere*; non ſolùm tacitè, ſed etiam clarè. 4. *Summam rei*, uti vocant, *in tabulam ſynopticam conjicere.*

In cathedra debet dicere 1. *conſideratè*, 2. *breviter.*

E cathedra deſcendens cenſuras aliorum æquo debet ferre animo, & emendare, ſi contra leges oratorias prævaricatus ſit.

Satis de præcognitis oratoriis.

LIBER SECUNDUS

De

ORATORIA COMMUNI,

IN QUATUOR SECTIONES TRIBUTUS.

EXpoſita ſunt præcognita oratoria: ſequuntur ipſa præcepta oratoriæ facultatis.

Orato-

Oratoria facultas, tractans de oratione solutâ, (ligatam enim explicat poëtica) *est communis, vel specialis.*

Hoc modo omnes fermè disciplinæ dividuntur, videl. Metaphysica, Mathematica, Physica, Philosophia practica, Grammatica, Rhetorica, Logica, Poëtica, Historica.

Oratoria communis, seu generalis, *agit de oratione soluta in genere.*

Quatuor sunt ejus partes:

I. Phylactica.
II. Analytica.
III. Mimetica.
IV. Synthetica.

SECTIO I.

De

PHYLACTICA;

Seu,

Locis communibus eloquentiæ.

QUatuor fecimus partes oratoriæ communis: quia usu diuturno edocti sumus, singulas istas in specialis Oratoriæ partibus concurrere. Sive enim epistolas, sive orationes, sive cõciones velimus formare, omnino quatuor, quas diximus, partes necessariò observandę sunt. Singulas itaque persequamur.

Phylactica est prima oratoriæ communis pars, de locis communibus eloquentiæ: sic dicta à custodia.

De locis communib. hîc in genere monetur: infrà in specie de locis epistolicis, oratoriis, & ecclesiasticis.

Locorum communium eloquentiæ consideratur cùm necessitas, tum modus.

Necessitas inde patet: Loci communes sunt memoriæ subsidium & signum repræsentatitiũ. *Keckerman. in appar. practic. c. 1. consil. Logic.* Est enim rerum & verborum major copia, quàm ut possit ab unius hominis memoriâ, utut felicissimâ, distinctè ac fideliter retineri. Si quis itaque habeat locos communes, locupletes illos & rectè adornatos, maximum utiq; memoriæ habet thesaurum. Neque verò est consequens, ille præclarus evasit orator sine adminiculo locorum communium. Omnes itaq; sine tali adminiculo præclari evadent. Non enim unum idemque omnium est temperamentum. Quid? Si maximè aliquis tam felici memoriâ sit prœditus, ut pleraq; retinere possit, tamen nec ille idem, nec ullus hominum tam felix est, ut non sit obnoxius illis casibus, qui memoriam affligunt, quales sunt hi tres, curæ & perturbationes animi, morbi interni & externi, & deniq; senectus. Dicat aliquis, memoriam hac ratione negligi. Dicam ego: memoria naturalis, & memoria subsidiaria, sive loci communes sunt subordinata. Subordinata autẽ non

non pugnant. Et ut Medicus robuſtam naturam non lædit, dum eam certæ diætæ præſcriptione adverſus morbos munit: item ut miles ſuccenturiatus non obeſt duci ſuo, ſed potiùs ei ſubſervit: ita etiam loci communes eloquentiæ, qui nihil aliud ſunt, quàm ſuccenturiatum memoriæ ſubſidium, naturali memoriæ non tantùm nihil obſtant, ſed etiam valde ſunt neceſſarii. Sic itaque concludamus:

Tantum ſcimus, quantum memoriâ tenemus. Tenemus autem aliquid memoriâ vel naturali, vel ſubſidiariâ, id eſt, locis communibus, qui aliâs vocantur libelli memoriales.

Sequitur modus, quo loci communes eloquentiæ parandi ſunt.

Modus colligendorum locorum communium ita habet.

I. Non omnia ſunt notanda, ſed illuſtriora. Contrà ſtatuit *Joan. Sturmius de reſolvendâ linguâ Latinâ: In congeſtionibus* (ita vocat locos communes) *nihil eſt omittendum, & non oportet ſolùm colligere gemmas, ſed etiam alios lapides.* Verùm cùm omnia in ſtudiis oporteat metiri uſu & fructu, dixerim cum Cl. Keckermanno utilia & præclara duntaxat in L. C. eſſe notanda.

II. Modus colligendorum L. C. eſt vel ſolitarius, vel ſocius. Solitarius modus eſt, cùm ipſi pro nobis ſoli ſcitu digna legimus & ſeligimus. Socius eſt, quando conjunguntur operæ, id quod

maximâ cum utilitate fit. Si enim tres quatuórve eundem ſcopum habeant propoſitum, & inſtituant collegium Gellianum, ita ut ſinguli de eâdem materiâ ſingulos evolvant authores, & poſtea ſine invidiâ ſuas annotationes in collegio cõmunicent, dici non poteſt, quàm præclarum hoc ſit proficiendi compendium.

III. Libelli memoriales ſeu volumina locorum communium eloquentiæ debent eſſe quatuor, hoc ordine. 1. Vocabularium. 2. Phraſeologia. 3. Gnomologia. 4. Formulare.

IV. Vocabularium, aliâs Lexicum & Dictionarium, *ita eſt adornandum.* Non excerpenda ſunt minutatim omnia & ſingula vocabula (hoc enim eſt poſt Homerum ſcribere Iliadas) ſed inſigniora, hoc ordine:

1 *Voces emphaticæ.*
2 *Voces rariores.*
3 *Voces barbaræ & obſoletæ.*
4 *Synonyma & Epitheta.*
5 *Tropi excellentiores.*

V. Phraſeologia complectetur 1. phraſes elegantiores. 2. archaiſmos. 3. anomalas loquendi formulas.

VI. Gnomologia, aliâs Anthologia & Florilegium, *continebit Ornamenta*, uti vocat *Lipſius in Inſtit. epiſtol.* quò referuntur *1. Sententiæ ſeu acutiora dicta. 2. Similitudines. 3. Exempla.*

VII. Formulare (quod ita dicimus novo vocabulo,)

bulo,) *continet formulas Materiæ & Contextus.* Formulæ materiæ ſunt formulæ rogandi, gratias agendi, operam offerendi, & ſimiliũ rerum. Formulæ contextus ſunt formulæ ordiendi, narrãdi, proponendi, confutandi, claudendi: itẽ transeundi, continuandi, abrumpendi: & id genus aliæ, quibus in contexendis ſcriptis ſuis authores Latini uſi fuerunt. *Liebig. de top. cap. 13.* Atque hæ formulæ ſunt epiſtolares, oratoriæ, & eccleſiaſticæ, de quibus infrà ſuo loco. Jam enim ſatis pro noſtri inſtituti ratione diximus, quòd & quomodo Loci communes eloquentiæ parandi ſint.

SECTIO II.

De
ANALYTICA.

SEcunda Oratoriæ communis pars dicitur Analytica, tractans de analyſi oratoriâ, qua ſcripta oratorum retexuntur.

Ejus conſiderabimus neceſſitatem & modum.

Neceſſitas ex illius fructu patet: qui geminus. Facit enim hæc talis analyſis ad pleniorem intelligentiam, & faciliorem reminiſcentiam.

De modo analyſeos hæ ſunt obſervationes.

I. *Analyſis eſt tractationis noſtræ vel alienæ.* Utraq; *fit eodem modo, licet illa ſit facilior hac,*

II. Analyſis eſt expreſſa, vel tacita. Expreſsè autem inſtitui debet analyſis per tres quatuórve menſes, prout ingenia ſunt excitatiora, vel tardiora: tacitè autem fieri debet per totam vitam.

III. Analyſeos duæ erunt partes, Præcognitio, & Recognitio.

IV. Præcognitio eſt de ſcriptore & ſcripto.

V. De ſcriptore præcognoſcenda ſunt tria, videl. vita, occaſio ſcribendi ſeu cauſa impellentes, & ſcopus.

VI. De ſcripto itidem tria præcognoſcenda ſunt, videl. neceſſitas, utilitas, jucunditas.

VII. Recognitio eſt Notionalis, vel Realis.

VIII. Recognitio notionalis ſeu organica & technologica eſt Grammatica, Rhetorica & Logica.

IX. Analyſis Grammatica in quovis ſcripto oratorio obſervabit Voces emphaticas, Phraſes illuſtres, Gnomas inſignes. Illæ in Vocabularia, iſtæ in Phraſeologias, hæ in Gnomologias referuntur: de quibus ſuprà in ſect. 1.

X. Analyſis Rhetorica obſervabit exornationem per tropos & figuras tam dictionis, quàm ſententiæ, maximè tamen ſententiæ.

XI. Analyſis Logica erit tum inventionis, tum judicii. Illa topica, hæc critica dicitur.

XII. Analyſis topica ſic inſtituitor.

Primùm omnium totius operis ſumma ob oculos ponitor.

Deinde

Deinde quæstio princeps, quæ dicitur aliâs thema, status, & propositio, eruitor. Dico, *quæstio princeps*: quia subinde etiam aliæ quæstiones concurrunt in orationum decursu, quæ vocantur collaterales & incidentes. Ut autem quæstio principalis eruatur, cogitandum erit de scopo.

Tertiò cognitâ plenè quæstione, argumenta notantor, & ad locos Logicos referuntor.

Denique argumenta declarantia, probantia, & amplificantia ritè discernuntor.

XIII. Analysis critica est dispositionis axiomatica, syllogistica, & methodica.

XIV. Analysis axiomatica sicpote instituitor.

Principiò axioma nudum è periodo istâ, quam legis, formato, detracto omni ornatu oratorio, ita ut partes essentiales discernas à declarationibus atque illustrationibus.

Deinde considerato, quinam termini simplices in isto axiomate disponantur.

Deniq; observato conjunctiones Grammaticas. Eæ enim sunt characteres axiomatis compositi: copulativa copulati, connexiva connexi, discretiva discreti, disjunctiva disjuncti.

XV. Analysis dispositionis syllogistica hoc modo suscipitor.

Omnium primò quæstio dubia investigator, quæ semper est ipsa conclusio, cujus index est conjunctio rationalis.

Deinde argumentum ſeu medius terminus eruitor, quem indicat conjunctio cauſalis.

Denique detracto cultu oratorio ſyllogiſmus nudè formetur, ut ita conſtare poſſit, num plena vel enthymematica ſit diſpoſitio.

XVI. Analyſeos Methodicæ hi ſunt canones.

Primò videatur, quot ſint partes ſcripti oratorii, quæq; earundem collocatio. Deinde quæ ſit ſingularum partium tractatio, quæ transitiones, quæ crypſes.

XVII. Talis eſt ratio analyſeos notionalis: realis analyſis ita inſtituetur. Obſervato ita, ut præcepimus, artificio Grammatico, Rhetorico & Logico, veniendum eſt ad analyſin ipſarummet rerum: quarum conſiderandus eſt tum ſenſus, tum uſus. Senſus non poteſt non conſtare, ſi analyſis notionalis ritè ſit perfecta. Uſus autem ſex habet capita. Quidquid enim legimus, aut eſt præceptum, definitio ſcilicet vel distributio, aut explicatio præcepti, aut quæſtio, aut objectio, eiáque oppoſita reſponſio, aut regula, aut authoritas ſive teſtimonium. Sex iſtis uti poſſumus in vita communi. Proderit itaque in quovis ſcripto ſex iſta ſtudioſè notare.

Satis de analyſi, cujus præcipuus ſcopus eſt Imitatio.

SECTIO

SECTIO III.

De

MIMETICA.

Mimetica est tertia oratoriæ communis pars de mimesi, seu imitatione oratoriâ. Sturmius utitur hoc vocabulo *l. 1. de imit. c. 2. Schol.*

Imitatio oratoria est diligens alieni operis expressio.

Ejus considerabimus tum necessitatem, tum modum.

Necessitas imitationis tanta est, ut illi non abre primæ decernantur in exercitatione oratoria. Quid enim? Annon pictores & architecti sibi proponunt originale, uti vocant, quod imitando exprimere conantur? Simile quid est in eloquentiæ studio. Sicuti autem pictores & architecti ita respiciunt prototypum, ut artis suæ præcepta sibi priùs revocent in memoriam: ita eloquentiæ studiosus non solùm ad exemplum præclarum respicere debet, sed etiam ad artis dicendi præcepta. Hac enim ratione exemplum juvabit sensu, ars illum perficiet intellectu. *Keckermannus Syst. Rhetor. special. l. 2. c. 2.* Errant itaque, qui cupiunt imitari oratorem, quando necdum præcepta dicendi cognita habent.

Modus imitationis è ſequentibus obſervationibus patebit.

I. Ad imitationem aptiſunt, quiſunt conſtantes. Nam volatica ingenia ad imitationem ſunt inepta. Hanc ob cauſam Græci imitationem vocant ζῆλον, h. e. ut ait *Sturmius de imit.* quaſi affixum obſervandi ſtudium ejus rei, cujus exprimere velit ſimilitudinem.

II. Imitatores non ſint ſervum pecus, quod *Horatius* quibusdam objicit. Utantur potiùs jure libertatis ſuæ, & aliquid de ſuo inſpirent, ut *Lipſius* monet.

III. Diſtinguendum eſt inter τὰ μιμητὰ, & ἀμίμητα, h. e. *imitabilia, & inimitabilia. Sturm. de imit. l. 1. c. 3.*

Τὰ μιμητὰ *ſunt vel εὐμίμητα, vel δυσμίμητα.*

Εὐμίμητα, *quæ facilè poſſunt imitando exprimi, ſunt tum verba, tum res, tum tractatio.*

Δυσμίμητα, *quæ difficilè poſſunt imitando exprimi, ſunt actio & conſuetudo. Sturm. d. l.*

Ἀμίμητα *ſunt bona naturæ in aliis oratoribus, & eſſe debent vitia.*

IV. Imitatio eſt vel partis, vel totius operis. Illa debet hanc antecedere.

V. Imitationem ſemper antecedere debet analyſis; hoc modo: Principiò charta dividatur duas in columnas παραλλήλως, *collateraliter:* ab uno latere ſcribatur archetypum, è regione ectypum. Deinde ordine ſubſcribantur utriusque partis argu-

argumenta declarantia seu explicantia, demonstrantia seu probantia, & amplificantia. Deniq; accedatur ad ipsum imitandi artificium.

VI. Non quivis authores ad imitandum simul, & omni ævo, promiscuéve proponendi sunt. Sit itaque imitatio triplex:

1 *Prima*, quæ & puerilis, quæ uni sit dedita, tanquam principi magistro.

2 *Crescens* & virilis, quæ multorum virtutes exprimat, non saltuatim, sed gradatim.

3 *Adulta*, quæ vagatur liberè per omne autorum genus: ita tamen ut nullius authoris evolutio prior potiórve sit evolutione & imitatione Ciceronis.

VII. Imitatio alia est totalis, alia partialis. Totalis, cùm imitamur integrum aliquod scriptum oratorium: Partialis, cùm illustrem alicujus scripti locum.

VIII. Imitatio est directa, vel indirecta. Directa est, quâ quis illustris alicujus oratoris Latini scriptum in consimilem materiam, consimileque argumentum deducit. Indirecta est, quâ quis quæstionẽ quæstioni oratoris, & argumenta argumentis opponit: ut Cicero dixit pro Dejotaro, eloquentiæ studiosus in Dejotarum dicat: item faciat Roscium reum: laudet Antonium: Verrem defendat: Catilinæ partes tueatur: Legem Maniliam disuadeat: approbet Agrariam. Hoc exercitii genus est facile juxtà & jucundum.

Etenim quæ author, quem æmulamur, asseruit, nos negamus, & contrà. *Melch. Jun. meth. eloq. c. 16.*

IX. *Imitatio ut sit legitima, oportet esse conformitatem*

1 *Quæstionum:* ut nostra quæstio sit consimilis, quæstioni oratoris, vel etiam contraria, in imitatione scil. indirectâ.

2 *Generis dicendi:* ut quæstio utraq; sit generis deliberativi, vel demonstrativi, vel judicialis.

3 *Characteris dictionis:* qui est sublimis, mediocris, & humilis. Ridiculum enim foret, oratoris stilum sublimem in re humili imitari. Id ne fiat, oportet habere rationem auditorum, temporis, loci, nostræ item personæ; ut observemus τὸ πρέπον. Cicero certè aliter apud Senatum loquitur, aliter cum populo agit, aliter orationes suas ad Cæsarem instituit. *Jun. de methodo eloq. cap. 14.*

4 *Ordinis:* ut retineamus ordinem, quem author in suo scripto observavit. Sic fiet, ut sententiæ sententiis, periodi periodis, incisa incisis, membra membris, quasi æquissimâ lance distributa opponantur. *Liebig. de cop. c. 88.* Consimilia formentur axiomata, consimiles fiant syllogismi, consimilis adhibeatur methodus.

X. *Imitatio est aperta, vel occulta.*

Imitationis apertæ scala (sic *Treutlerus* vocat *in methodo eloq.*) quinque habet gradus. Suntq;

1. Axio-

1. Axioma, seu gnoma. 2. Syllogismus. 3. Epistola. 4. Paradoxum. 5. Oratio. Itaq; imitator non integram illico exprimere conabitur orationem: sed

1 Axioma aliquod, oratoriè tractatum, in manus sumet; idque exercitium quatuor dies durabit.

2 Ad oratoria enthymemata & syllogismos perfectos veniet; atque ita se exercebit per octiduum.

3 Ad breviores epistolas se accinget, & varia epistolarum genera imitabitur: id quod fieri potest spatio bimestri, ita ut singulis diebus binas ad minimum absolvat epistolas.

4 Paradoxa Ciceronis imitabitur. Sunt autem paradoxa numero sex, excepto proœmio. Quæ igitur Cicero in illis ethnicis & ethicis paradoxis disputavit, imitator cõsimili filo paradoxa Christiana, Politica, vel Juridica efficiet: e.g. Primum paradoxum Theologicum esto: Quòd solâ fide justificemur. Secundum: Iis, qui Deum diligunt, nil deesse ad felicitatem. Tertium: Singula peccata esse mortalia. Quartum: Omnes Pontificios esse idololatras. Quintum: Omnes Christianos esse liberos. Sextum: Quòd sacra Scriptura sit supra Ecclesiam.

5 Tandem ad orationes Ciceronis progredietur: è quibus tres quatuórve sub initium seliget; ut orationem pro Archiâ accommodabit ad Ati-

ſtotelem vel Ramum; pro Marcello ad Mauritium Belgarum principem optimum.

XI. Imitatio occulta decet maturiores jam oratores. Ea fit 1. Permutatione. 2. Transpoſitione. Permutatio eſt variatio, quâ aliis atq; aliis verbis unam eandemque ſententiam efferimus. Datâ itaque in medium aliquâ phraſi vel ſententiâ, ea ratione ſubjecti & prædicati deducenda erit per terminos Grammaticos, Rhetoricos, & Logicos. Iſta namque ratio tres affert utilitates. 1. Facit ad intelligentiam trium iſtarum artium Logicarum. 2. Juvat nos in metaphraſi & paraphraſi, in vertendis ſcil. libris, dictis, ſimilibus, &c. 3. Facit ad ditationem, & colorationem, uti loquuntur, periodorũ, ne illæ maneant exſuccæ & exſangues. Sit v. g. hæc ſententia: *Virtus eſt colenda.* Ea mille plus minùs modis variari poteſt. Videlicet

I. Grammaticè

Per caſus utriusque numeri	50
Per gradus comparationis	30
Per tempora & modos	100
Per Adverbia, Præpoſitiones, Conjunctiones & Interjectiones	100
Per regulas Syntacticas	150

II. Rhetoricè

Per tropos	100
Per figuras dictionis	30
Per figuras ſententiæ	50

III. Lo-

III. Logicè

Per locos Inventionis. 150

Per axiomata, quorum singula è singulis locis Inventionis deducantur per singulas axiomatis species 200

Per syllogismos 100

Summa 1060

Paucis hisce verbis mihi complexus videor prolixas observationes, quas Erasmus tradidit de cop. verb. itemque Liebigius post Erasmum. Ex illis pete, si placet, exempla. Cum primis autem commendatam sibi habeant eloquentiæ studiosi variationem per figuras sententiæ: cujus deductionis illustrissimum exemplum hoc tibi habeto:

Virtus est colenda.

I. Variatio per Exclamationem.

1 *O perversitatem hominum! ô dementiam! ô insignem eorum labem! qui virtutem, quâ nihil pulchrius, nihil utilius, nihil constantius hominum generi datum est, tam parvi pendunt, negligunt, derident.*

2 *Utinam is esset apud omneis virtutis amor, qui esse debebat! Melius longè sese haberent res nostra.*

3 *Deus vos perdat, scelerati, qui tanto adversus virtutem odio conflagratis, ut neq; ejus utili-*

tas, neq; jucunditas, neq; dignitas quidquam vos moveat.

4 *O frustrà consumti in torpentibus animis ad virtutis studium excitandis labores! ô spes fallaces! ô cogitationes inanes!*

5 *Pestis vos! ô scelerati virtutis contemtores, estis, non tantùm Reipubl. sed & (ita abjicitis vos infra bestias) vestrorum animorum.*

6 *Va vobis, scelerati, qui omnem curam, omne studium, omnemq; adeò cogitationem, virtutis colenda turpiter nefarieq; abjicere non dubitatis!*

7 *O misera virtus, heu quàm pauci eo, quo debebant, amore & cultu te prosequuntur!*

II. Variatio per Epanorthosin.

1 *Virtus omnino est amanda. Sed quid dico, eam esse amandam? Imò est unicè suspicienda, atq; in sanguinem & succum, quod ajunt convertenda.*

2 *Est hoc dolendum, quòd tam pauci virtutis, quæ tamen divitias: divitias autem? imò verò & generis nobilitatem, & corporis robur; quin etiam illam ipsam rerum humanarum & divinarum scientiam longè longeq; superat, amore studioq; ducuntur.*

III. Variatio per Apostrophen.

1 *Norunt hoc omnes & fatentur: virtutem in tempestate sæva quietam esse, & lucere in tenebris, & pulsam loco, manere tamen: omnes, inquam, hoc nôrunt & fatentur: sed quotusquisq; est, qui*

eam

eam extolat. Quid verò vobis animi est, ô ignavi virtutum cultores? quæ vos agitant furiæ, scelerati earundem contemtores? An vos impunè laturos putatis hanc negligentiam, hunc contemtum vestrum? Malè putatis, ita si putatis.

2 *Dolendum omnino est, quamplurimos usque adeò perfricuisse frontem, ut virtutem proscriptam velint. Vereor profectò, ne tu, sancte Deus, justâ tandem adversus illos contemtores irâ accendaris.*

3 *Tantámne esse quamplurimorum perversitatem, ut virtutem contemtui habeant! Non dubito profectò, quin tu, ipsa Virtus, tantum tui contemtum sis ultura.*

IV. Variatio per Prosopopœïam.

1 *Virtus, ô Cyclopes, vos tacitè rogare videtur, ut se dignam vestro amore & studio existimetis.*

2 *Quid, quæso, contemtores virtutis, ipsam virtutem dicturam putatis, si loqui posset. His, puto, verbis tantum sui contemtum exciperet: Quænam vos, homines, furiæ agitant, quòd voluptas magis quàm virtus vobis curæ est? An nescitis, me non hominis alicujus filiam esse, sed à Deo originem ducere? Quid homo sine me? Nil nisi umbra hominis. Qui ergo me contemnit, contemnit & Deum & se. Hac suâ gravitate censoriâ virtus ad sui contemtores usura esset, si loquendi facultatem haberet.*

3 *Quid si nunc Aristides, cognomento Justus, reviviscеret, videretq; horum temporum mores, nónne has in voces erumperet? Qui hi sunt mores, ô perversi! Itáne fieri oportuit, ut abjectâ virtutis honestatisq; curâ & cogitatione, ventri vos totos ac voluptatibus dedatis? Videor profectò videre jam illud tempus, quo hujus tam scelerata vitæ pœnas gravissimas estis daturi. Quas si effugere cupitis, redite in viam virtutis: virtutem amate, amplexamini, exoscula mini. Quod si feceritis, innumera vos manebunt bona. Hæc si vobiscum, ut dixi, Aristides loqui posset, nónne impetrare deberet, ut nil prius, nil antiquius haberetis, quàm virtutis studium atq; cultum.*

V. Variatio per Aposiopesin.

An impunè vos laturos arbitramini tantum virtutis contemtum? Nisi enim aliunde plectemini, vos ipsi carnifices: Non audeo totum dicere: neq; cupio vobis malè ominari.

VI. Variatio per Addubitationem.

Equidem quod ad me attinet, quid de virtute sentiendum sit, scio. Negem illam unicè amandam? Negem illam summo studio colendam? Evellam ex animo meo ardentem ejus amorem, penitùs insitum & vetustum? Non est hoc boni viri: imò ne hominis quidem.

VII. Variatio per Communicationem.

1 *Quid animi vobis esse dicam, quòd usq; adeò segnes*

segnes estis in cursu virtutis conficiundo? Num viæ difficultatem metuitis? Num periculâ extimescitis? Profectò cum rectâ insanitis ratione, si leviculas istas remoras in hoc laudabili cursu vobis objici patiamini.

2 *Quis non miretur, imò quis non execretur illorum hominum extremam malitiam an insaniam, qui virtutis odio ita flagrant, ut ne semel quidem ejus colendæ cogitationem suscipiant, sed contrà furente impetu in omnis generis vitia ruant?*

VIII. Variatio per Occupationem.

1 *Sat scio quamplurimos ideò virtutis studium aspernari, ac tantùm non execrari, quòd iter sit salebrosum ad illam perveniendi. Sed ô molles & delicatos! Annon difficilia, quæ pulcra? Annon ardua vincunt? Frangant itaque nucem, si esse volunt è nuce nucleum.*

2 *Videor mihi molles quosdam & ignavos ita loquentes audire: prædicatur nobis virtutum præstantia: extollitur earundem jucunditas: exaggeratur necessitas: prodit in medium Socrates, & pietatem unicè commendat: adjungit se illi Aristides, & justitiam in cœlum usque laudibus effert. Facile quidem dictu, quod suadent: at factu difficile. Quid enim poëta?*

Virtutem (canit) *posuere dii sudore parandam.*

Et verò quis exitus eorum, qui virtutem usque & usquè colnerunt? Socrates, ipsa innocentia, con-

demnatur capitis: Anaxarchus à Nicocreonte Rege mactatur: pereunt & alii miseris modis. Jucundúmne verò sit multo sudore aliquid virtutis parare? Jucundúmne vitæ, quâ nihil miseris mortalibus charius est, sese periculis objicere? Valeat virtus: voluptati, quamdiu datur, indulgeamus. Hæ sunt voces, hæ cogitationes eorum, qui virtutem despectui habent. Sed est quod respondeam. Ardua est virtutis acquisitio? At præclara atque æterna ejus possessio. Pericula extimescitis, quæ virtutis causâ sunt subeunda? An nescitis, fortitudinis esse proprium, nil extimescere? &c. Quæ cùm ita sint, inexpiabili prælio adversus vitia decertate: invicti estote ad labores, virtutis causâ, perferendos; fortes vos gerite ad pericula, animisq; vestris inscribite hæc verba:

Explorant adversa viros: perq; aspera duro
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

IX. Variatio per Permissionem.

Si ita placet, negligas virtutem & contemnas: virtutis studiosos persequaris. Nihil ad me attinet. Jam si verbum unum posti hac.

X. Variatio per Concessionem.

Esto, quòd iter ad virtutem sit difficillimum, molestissimumq;: esto, quòd non nisi ab eo superari possit, quem Deus amat propitius. At virtus ipsa longè est nobilissima: at illi beatissimi: qui superatâ itineris difficultate, læti ad Virtutis, & inde ad Honoris fanum perveniunt.

Ita

Ita habet variatio propoſiti exempli per figuras ſententiæ. Tu, candidate eloquentiæ, jam ipſe judica, quid utilitatis ex hoc tali exercitio ad te redire poſſit.

Tranſpoſitio eſt alter occultandi modus, quo partes ſyllogiſmorum & tractationis tranſponuntur.

Sturmius de imit. l. 3. c. 4. docet, diſſimilitudinem imitationis conſiſtere 1. in προσθέσει, *appoſitione*, cùm aliquid addimus exemplo propoſito. 2. in ἀφαιρέσει, *ablatione*, cùm aliquid ab ipſo exemplo tollimus. 3. in μεθέσει, *tranſpoſitione*, cum partes ipſæ trajiciuntur. 4. in μεταβολῇ, *mutatione*, rerum & circumſtantiarum. 5. in ἀφθονίᾳ, *copiâ*, cùm orator conatur copiâ ſuperare eum, quem æmulatur. 6. in *brevitate*, cùm multitudinem ad paucitatem, copiam ad inopiam contrahimus. Hæ ſunt ſex illæ imitantium methodi apud Hermogenem.

SECTIO IV.

De

SYNTHETICA.

EXpoſita eſt analytica oratoria: ſequitur ſynthetica oratoria, quæ eſt quarta & ultima Oratoriæ communis pars, de orationis ſolutæ geneſi in genere: aliâs Methodica dicitur.

Diximus ab initio, Oratoriam tradere appli-

cationem instrumentorum logicorum. Id ex hâc sectione liquidò liquebit, ubi omnes docendi discendiq; rationes, adeoq; modi commentandi, explicandi, interpretandi, commentandi, & omnino perorandi expenduntur.

Synthetica seu methodica Oratoria est in Ideâ & pertractatione.

Idea Oratoria est, per quam inventio necessariorum adumbratur.

Est q3 vel thematica, vel categorica.

Thematica est, quâ invenitur thema.

Thema est vel simplex, vel conjunctum.

Thema simplex est tale vel simpliciter, vel secundùm quid.

Thema simpliciter simplex est, quod uno termino effertur, qui est vel vox aliqua, vel res.

Thema simplex secundùm quid dicitur quæstio simplex, ad quam nō potest responderi Ita vel Non. Ejus novem sunt species: videl. Quid? Quotuplex? De quo? Quantum? Quale? Quomodo? Quando? Ubi? Cum quo?

Thema compositum dicitur quæstio conjuncta, ad quam potest responderi Ita vel Non.

Est q3 vel thesis, vel hypothesis.

Thesis est, qua circumstantiarum mentionem involutam non habet: ut, an regem occidere licet?

Hypothesis est, qua circumstantiarum notationem

nem in ſe habet: ut, an Henricum IV. Galliarum Regem occidere licuit?

Ex hypotheſi efflorescunt tria orationum genera.

I. Deliberativum, quod in conſultando eſt poſitum, habens ſuaſionem & diſſuaſionem.

II. Demonſtrativum, quod in laude & vituperio conſumitur.

III. Judiciale, quod in controverſiâ poſitum eſt: in quo genere quæſtio proprio nomine vocatur *ſtatus*, qui eſt triplex.

1 *Conjecturalis*, in quo de ipsâ re quæritur, an ſit, necne: ut, an Cœlius venenum parârit Clodiæ?

2 *Definitivus*, in quo non de re dubitatur, ſed de nomine ejus contenditur, & quæritur, quid ſit: ut, crimináne ſint, an maledicta quę objiciuntur Cœlio?

3 *Qualitatis*, quo nec de re, nec de nomine, ſed de qualitate rei quæritur: ut, an Milo Clodium jure occiderit?

Talis eſt idea thematica, cujus hic eſt uſus. Quoties de aliquo themate dicendum eſt, orator debet illud reducere ad ſuam ſpeciem, ut videat, num ſit quęſtio ſimplex vel conjuncta, num theſis vel hypotheſis. Omnes enim & ſingulæ thematum ſpecies ad modò enarratas referri poſſunt. Ne tamen hâc in parte deſim eloquentiæ ſtudioſis, brevem thematum, quæ exercitio oratorio apta ſunt, catalogum ſubjiciemus, ad-

ditis pauculis exemplis. Non ineptè itaq; aliquis hanc enarrationem dixerit arborem eloquentiæ, in quâ tres sunt radices, videlicet thema simplex, thesis & hypothesis: rami autem septendecim, hoc ordine.

I. Ante omnia igitur eloquentiæ studiosus rectè incipiet à tractatione *vocis*. Hujusmodi voces sunt Fides, Sirenes, Ususfructus, & consimiles in variis facultatibus. Velim.n. eloquentiæ studiosum seligere materias declamationum è facultate, cui se aliquando totum dedere cogitat. Quum verò vocabula sint symbola rerum, maximā sanè disciplinæ partem assequutus esse dicetur is, qui terminorum vim & significationes perdidicit.

II. A tractatione vocum veniet ad *laudationes & vituperationes*: quæ, Rhetorum nostrorum judicio, omniū facillimæ ac jucundissimę existunt, & in quib. solent juventutē diutiùs detinere, quarum denique exempla quamplurima sunt obvia.

Laudabunt itaque

1 *Personas*: ut Abrahamum, Danielem, Paulum, Cyrum, Alexandrum M. Theodosium, & recentiores aliquot, qui benę meriti sunt de Rebuspubl. Ecclesiis & Scholis. Exempla hujusmodi orationum encomiasticarum quamplurima occurrunt apud Gregoriū Nazianzenum, Chrysostomum, Basilium Magnum, ut jam nil dicam de aliis authoribus.

2 *Facta*: qualia multa præclara Christianorū Regum

Regum, Principum, Episcoporum, & eruditorum hominum leguntur in historiis, præsertim ecclesiasticis. Hujus classis sunt hospitalitas Abrahæ, patientia Jobi, clementia Cyri erga populum Dei, Julii Cæsaris bella, Constantini Magni liberalitas.

3 *Res:* ut sunt patientia, vita Scholastica, lingua Græca, ciconia, columba, herbæ, regiones, urbes, flumina, montes. Vide *Valerium Maximum* de singulis istis, sive personis, sive factis, sive rebus.

E contrario vituperabunt

1 *Personas:* ut Adamum, Sardanapalum, Absolomum, Papam, Jesuitas.

2 *Facta:* ut infanticidium Herodis, tyrannidem Phocæ Imperatoris, parricidium Caini.

3 *Res:* ut vitia, Romam, urbes, montes.

III. Laudationi & vituperationi affines sunt, atque subinde permiscentur *exhortationes & dehortationes*: quare hæ illis meritò succedent proximè: *Hyperius de rat. stud. Theol. l. 3. c. 7.* Instituentur itaq; orationes hortatoriæ

1 *Ad episcopos*, ut ritè præsint Ecclesiis sibi concreditis, ut pastorum doctrinam & mores observent, ut Scholas instaurent, ut publicas bibliothecas reparent, ut curent describi historias ecclesiasticas.

2 *Ad Principes:* ut judicia in ordinem redigant, ut tandem aliquando sopitis tot tantisque bellorum incendiis, pacis conditiones tractent, ut disciplinam militarem restituant, ut non nisi

bonos & ſpectatæ fidei viros ad quæſturas, prætu-ras, & conſimilia munia provehant.

3 *Ad juventutem:* ut ſtudia bonarum literarum capeſſant alacriter, ut literis adjungant pietatem, ut linguarum ſtudia magnifaciant, ut averſentur ſpurca quæq; & nociva.

4 *Ad parentes:* ut liberos ſuos rectè educent, ut in Scholas mittant, ut iis proſpiciant de neceſſariis.

Hinc parabuntur dehortationes ad eosdem directæ: item hortationes ad pœnitentiam, ad charitatem, ad contemtum mundi, ad eleemoſynas, prout res poſtulabit.

IV. Ab exhortationibus & dehortationibus fiat transitus ad tractationem *Loci communis*, ut Rhetores appellant. Hujusmodi loci communes è Philoſophiâ practicâ peti poſſunt innumeri: ut de fortitudine, de juſtitiâ, de liberalitate, de Monarchiâ, de poteſtate patriâ: contra luxum in potu, cibo, amictu, ſupellectile, ædificiis, contra ebrietatem, contra calumniam: de officio magiſtratus, de officio magiſtratus, de officio concionatoris, de audiendis ſenum conſiliis, de authoritate legum civilium. Hîc velim legi Patres, qui in hoc genere valde pathetici ſunt: nominatim Chryſoſtomus.

V. Tractandi ſunt *loci conſolatorii*, iique accommodati ad tempus, locum, & perſonas. Hujus ge-

jus generis sunt consolationes tempore belli, famis, pestis, persecutionis tyrannicæ, in exilio, in morbis, in morte propinquorum.

VI. Erit utile juxtà & jucundum, *themata comparativa* tractare. Themata comparativa hîc voco, quæ tractantur.

1 Per σύγκρισιν, id est, collationem similium.

2 Per ἀνάθεσιν, id est, contentionem, seu collationem dissimilium.

Ac *collatione* quidem *similium* comparari possunt Elias Propheta & Johannes Baptista, Theologia & Medicina, homo & mundus, Philosophia Aristotelica cum Platonica, Christus cum Samsone, Jona & Davide, præceptor cum imperatore, virtus cum virtute, vitium cum vitio, res gestæ cum rebus gestis, personæ cum personis, tempora cum temporibus, animalia cum animalibus: atque ita deinceps. Nam infinitæ propemodum res inter sese ita comparari possunt. *Contentione* verò componuntur vel potius opponuntur res dissimiles & contrariæ: ut bonus pastor Ecclesiæ & mercenarius: Ecclesia vera, & malignantium atque hypocritarum: Ecclesię status præsens & vetus: Adam primus & secundus: Lex & Evangelium: caro & spiritus: summum bonum Philosophorum & Theologorum: Saul & David: Mauritius Imperator & Phocas: Papa & Christus.

VII. *Sententia* insuper orationibus aptam

præbebunt materiam. Sententiarũ nomine complector *gnomas*, *chrias*, *proverbia*, *paradoxa*, *apophthegmata*. Sumi autem possunt pleraq; hujusmodi ex Aphthonio, Erasmi chiliadibus, Florilegiis, Promtuariis: ut nil jam dicam de Proverbiis Solomonis, de Ecclesiaste, de disputationibus Jobi, de sententiis Jesu Siracidæ.

VIII. *Fabulæ* à poëtis confictę subinde enarrandæ sunt, ita ut iis addantur interpretationes, demonstrantes aliquid vel ad morum institutionem, vel ad regiminis formam, vel ad naturæ explicationem conducibile & appositum. Consule *Mythologias Natalis Comitis*.

IX. Fabulis affines sunt *picturæ*: veluti pictura Christophori & Gregorii, imago patientiæ, avaritiæ, superbiæ, & consimiles εἰκόνες, quibus res quasi in tabulâ depictæ oculis subjiciuntur.

X. Conveniet nonnunquam aliorum *dicta* interpretari, atque oratione illustrare. Quod exercitii genus commendat *Cicero l. 1. de perfecto oratore*: Estque Theologiæ candidatis utilissimum.

XI. Proponentur aliquando προβλήματα, *quæstiones*, ex universâ philosophiâ, aliisq; facultatibus petitæ. Multus enim est Confirmationis & Confutationis usus. *Vide themata oratoria Matthæi Tympii.*

XII. Quæstionibus non ab re subnectuntur *apologiæ*, seu defensiones & purgationes.

XIII. *Dis-*

XIII. *Disputationes in utramq; partem:* quarum maximus est usus, si cautè seligantur, & cum judicio tractentur.

XIV. *Lamentationes:* quales sunt de bello Turcico, de tyrannide Pontificiâ, de hominum securitate.

XV. *Rescriptiones*, id est contrariæ orationes veterum orationibus oppositæ. Testatur enim *Quintil. lib. 10. cap. 5.* quosdam exercendi stili gratiâ solere rescribere veteribus orationibus: idque feciſſe inter cæteros ait Sextium quendam, qui scripsit contra actionem Ciceronis habitam pro Milone. Profectò è re studiosorum eloquentiæ erit, si nonnunquam ad alienum scriptum, vel declamationem sive veterem, sive nuper habitam, meditentur justâ itidem declamatione respondere.

XVI. *Dilatationes*, quibus scilicet argumentum quod alius quispiam breviter duntaxat attigit, plenius persequimur. Etenim sæpenumero sententia, exemplum, similitudo, vel tale quippiam, stellulæ aut gemmulæ ad instar in aliquâ orationis parte nitens, ac veluti fulgorem de se projiciens, admirabiles suggerit auditori cognitiones, imò permulta utilia atque præclara sponte obtrudit: quæ deinde paululum diducta, concinnata & illustrata in egregiam excrescunt orationem.

XVII. Largiter deniq; nobis ſuppetent apta orationibus argumenta, ſi ad tempora atque negotia undique occurrentia oculos intendamus. Et neſcio quî fit, omnes avidiſſimè audire geſtiunt, quæ pro præſentis temporis ſtatu eruditè dicuntur. Itaque hoc tempore commodè deſcribet aliquis Germaniæ ſtatum infeliciſſimum, Scholarum imminentem diſſipationem deplorabit, de Republicâ ordinandâ ornandaque ediſſertabit, deque cæteris verba faciet. Alia tempora alias theſes & materias ſubminiſtrant.

Hæc ſunt præcipua thematum oratoriorum genera: quæ ideo curſim perſtrinximus, ne quis obtendere poſſit, ſe ignorare, unde ſcribendi ſumat materiam.

Sequitur idea categorica, per quam inventio argumentorum oratoriorum ad thematis tractationem neceſſariorum præconcipitur & adumbratur.

Ea tradit de methodo oratoriâ, quam proponemus theoreticè & practicè.

Methodus oratoria theoreticè conſiderata eſt ordinaria, vel extraordinaria.

Methodus ordinaria eſt, quæ ἐπὶ τὸ πολὺ obſervatur in ſcientificâ tractatione.

Methodus ordinaria eſt vel ſimplex, vel compoſita.

Simplex conſideratur ſigillatim, & conjunctim.

Methodus oratoria ſimplex ſigillatim conſiderata,

rata est, quilibet locus inventionis solus & per se consideratus.

Huc pertinent fermè omnia topica insignio-ra, cùm ea sine consideratione τῆς ἀληθείας sola adhibentur. Singuli namque inventionis loci, qui in Logicis enodantur, sunt insignia docendi organa. Est itaque

I. Methodus solitaria argumentorum consentaneorum, videlicet causarum, effectorum, subjectorum, & adjunctorum; quando rem explicamus, probamus, vel amplificamus ex uno horum locorum.

Methodus causarum dicitur methodus τοῦ διότι. Solent autem oratores in loco causarum potissimum adhibere causam finalem, item causas efficientes principales impulsivas & instrumentales. Docendi causâ vocabimus *methodum causalem.*

Methodus effectorum dicitur methodus τοῦ ὅτι: *Beurerus l. 1. methodica c. 7.* In hoc effectorum loco oratores maximè triumphant, dum argumentantur ab utili & inutili. Docendi discendique causâ vocabimus *methodum effectivam.*

Methodus subjectorum ab oratore adhibetur maximè in Physicis & Ethicis: adjunctorum in physiognomonicis, artificialibus, laudibus item & vituperiis. Summa; methodi consentaneæ probationi & affirmationi potissimum inserviunt: unde & vocantur *methodi apodictica atq; dictica.*

II. Methodus ſolitaria argumentorum diſſentaneorum; quæ diſtinctioni, differentiæ, negationibus, reprehenſionibus & elenchis ſunt omnium accommodatiſſimæ: unde & vocatur *methodus Elenctica*. Poteſt itaq; orator argumentari ab oppoſitis, poteſt à relatis, poteſt à privantibus, poteſt à contradicentibus duntaxat.

III. Methodus ſimplex comparativa; quæ ex Logicorum comparatorum doctrinâ deducitur. Ea crebriùs in orationibus adhibetur: ut eſt methodus parium, majorum, minorum, ſimilium, & diſſimilium. Paria certè in oratione magnam vim habent: imparia in oratione triumphant, nempe argumenta à majori & minori: ſimilitudo tanquam regina in oratione dominatur, ita ut etſi neceſſitatem credendi per ſe non afferat, incutiat tamen magnum diſſentiendi pudorem. Eam ob cauſam poëtæ & oratores frequentiſſimè hoc topico utuntur. Nam maximè luculentum eſt & populare.

IV. Methodus Etymologica, quæ è conjugatis & notatione rem aliquam declarat. Locum iſtum vocis orator frequenter uſurpat, ſtatim ab initio. Quamvis enim notatio ſuâ naturâ non ita validè probet: tamen reſpectu auditoris plebeji maximum habet pondus: quia nomina cùm ſint ſigna rerũ, inſigniter incurrunt inſenſus eosq; movent.

V. Methodus definitiva (Græcis ὁριστικὴ) *& deſcriptiva*. Definitionis vim oſtendit *Cicero de*

perf.

perf. orat. item in *quæstion. Academ.* Oratores autem magis usurpant descriptionem quàm definitionem. Huc pertinent descriptiones rerum, locorum, temporum, personarum.

VI. Methodus διαιρετική, divisiva, quæ unico contenta est topico, videlicet, instrumento distributionis: quò spectant genera, species, individua, & similia. Apud oratorem enim dominantur species & individuum, & individuum quidem inprimis; utpote ad quod pertinent exempla, quæ in oratoriâ probatione magnam vim habent; si nempe sint perspicua, & propositis personis, loco & tempori accommodata. Vide *l. 3. theatri nostri, c 12.*

VII. Methodus testimoniorum, quando scilicet orator testimoniis duntaxat suum thema probat. Ubi distinguendum est inter testimonia infallibilia, qualia sunt, testimonium Dei, sensuum, fidei, & conscientiæ, & fallibilia, ut sunt reliqua omnia.

Hactenus de methodis simplicibus sigillatim, id est, præcipuis organis inventionis Logicæ, quando unumquodq; per se & solitarium frequentius incurrit, & adhibetur: sequuntur methodi simplices conjunctim consideratæ, quando scilicet unum, duo, tria, vel etiam plura topica nobiliora conjunctim adhibentur.

Hîc methodum, quod antea protestatus sum, non cõsidero & propono uti est præceptum logi-

cum: sed tanquam viam & rationem his aut illis instrumentis Logicis in oratione utendi.

Methodus conjuncta igitur est συζυγία, combinatio aliquot simplicium methodorum.

Hujusmodi combinationes invenio quinq;, hoc ordine.

I. Est conjunctio ὁριστικῆς, definitiva, & διαιρετικῆς, divisiva. Et hæc quidem conjunctio facilè principem tenet locum, si orator velit compendium alicujus disciplinæ proponere.

II. Est conjunctio συνθετικῆς, quando à causis ad effecta progredimur, & ἀναλυτικῆς, quando ab effectis ad causas.

III. Est conjunctio causarum, subjectorum, adjunctorum, omniumq; omnino consentaneorum, & dissentaneorum: quæ methodus dicitur (latè accepto vocabulo) *apodictica*; cujus hic est progressus non satis laudatus.

1 Theorematis vel problematis propositi ἀφορμή, *occasio.*

2 Τὸ δεδόμενον, *datum.*

3 Τὸ ζητούμενον, *quæstio.*

4 Ἔκθεσις τοῦ δεδομένου, *evolutio dati.*

5 Διορισμὸς τοῦ ζητουμένου, *definitio seu rectificatio status controversiæ.*

6 Κατασκευή, *apparatus principiorum, quæ demonstrationem conficere debent.*

7 Ἀπόδειξις, *ipsa demonstratio.*

8 Δεῖξις

8 Δεῖξις ἐξωτερικὴ, *probatio ab authoritate.*

9 Ἀπαγωγὴ εἰς ἀδύνατον, *deductio ad impossibile.*

10 Συμπέρασμα, *conclusio.*

11 Πορίσματα, *consectaria.*

12 Λύσις τῆς ἀπορίας, sive τῶν ἀντιφάσεων, *solutio objectionum.*

Hanc ego methodum inter conjunctiones simplicium methodorum facilè familiam ducere duco edoctus experientiâ. Id me, & quosdam meos discipulos magno cum profectu esse expertos ausim dicere, an gloriari.

IV. Est conjunctio apodixeos utriusq;, à priori scilicet & posteriori.

V. Est methodus problematica. Quatuor autem generibus continentur omnes quæstiones, ut docet *Aristoteles in princip. 2. Post.* An ita sit; cur ita sit; sit nec ne; quid sit. Alii plures hujus Aristotelici theorematis occasione quæstiones constituerunt, ut, quid sit, quæ partes & species, quæ causæ, qui effectus, quæ cognata, quæ pugnantia.

Hactenus de methodis simplicibus, earundemq; conjunctione: sequitur ut de compositis aliquid in medium afferamus.

Composita methodus triplex est.

Axiomatica seu aphoristica; quando nuda principia, regulæ, theoremata & canones de aliquâ re afferuntur.

II. Syllogiſtica (quò etiam ſpectat apodictica) quando unus ſyllogiſmus principalis, vel etiam plures principales de aliquâ materiâ afferuntur, quibus infiniti alii proſyllogiſmi attexuntur.

III. Methodus propriè dicta: de quâ multa præclarè præcipiunt Logici.

Satis de Methodo ordinariâ: ſequitur extraordinaria, quæ minùs ſcientifica eſt, & proinde extraordinariè adhibetur.

Hujusmodi methodos obſervavi cumprimis tres. Una eſt, quando rem ſeu thema quoddam cum innumeris aliis rebus occurrentibus comparamus. Omnia enim de omnibus dici poſſunt: ut ait *Jordanus Brunus de lamp. combin. cap. 2. memb. 2.* ut de homine ſerpens, aſinus, lupus, leo, & alia centena millia. Altera eſt, quando obvium quemque textum ad propoſitam materiam accommodamus: de quâ *Brunus d. l. & l. 3. de compoſ. imag. cap. 5.* Tertia, quando thema propoſitum deducimus per varias diſciplinas. Illam aliis in locis vocavimus *ſigillum Univerſitatis*, iſtam *ſigillum variæ lectionis*, hanc *ſigillum Technologiæ ſeu Encyclopædiæ.*

Et ſic expedivimus breviter ideam categoreticam oratoriam theoreticam de methodis ab oratoribus adhiberi ſolitis: de quarum delectu, & doctiſſimorum praxi jam dicemus eâdem brevitate, ut ſuprà recepimus.

1 *Ariſto-*

1 *Aristoteles* utplurimum in suis libris hâc utitur methodo, quæ constat 1. Exordio & axiomate principali. 2. Elencho seu refutatione opinionum, veterum & recentiorum. 3. Quæstionibus seu dubiis. 4. Apodixi. 5. Epilogo.

2 *Philoponus*, commentator Aristotelis, habet προθεωρίαν & θεωρίαν. Προθεωρία ejus in singulis operibus septem expendit. 1. Scopum. 2. Utilitatem. 3. Ordinem. 4. Causam inscriptionis. 5. Utrum germanus sit liber. 6. Distributionem in capita. 7. Ad quámnam Philosophiæ partem referatur.

3 *Aristotelici interpretes* varii sunt. Alii enim sola verba interpretantur: alii sententias tantùm, & hi sunt vel Epitomici, qui in compendium cogunt textum; vel Eclogarii, qui insigniora excerpunt; vel Textuales, qui textum interpretantur; vel Methodici, qui methodicè proponunt scita Aristotelis: alii deniq; sunt Polemici, qui dubitationes tractant pro Aristotele & contra eum.

4 *Eustathius* nobilissimus Homeri interpres primò agit de authore, ubi nomen, vitam, genus argumenti, rationem inscriptionis, & argumentum operis indicat: deinde ordinem, summam, rationem cujusq; dicti, singulas voces, & deniq; fabulas proponit atq; exponit.

5 Alii in docendo septem proponunt quæstiones: an sit, quid sit, quot partes, quæ causæ, qui effectus, quæ affinia, quæ contraria.

6 Sunt qui decem topica hoc ordine instituunt: Nomen, Definitio, Divisio, Causæ, Facta, Subjectum, Adjuncta, Comparata, Oppositæ, Testimonia.

7 *Gemma Frisius* hunc ordinem instituit, & disticho complexus est:

Membra decem subeant animo tradenda docentis,
Subjectum, species, nomen, finitio, causa,
Effectus, species, partes, cognata, remota.

8 *Raméi* multi hoc ordine instituunt omnem inveniendi poriam & methodum. 1. Causa. 2. Effectum. 3. Subjectum. 4. Adjunctũ. 5. Oppositæ. 6. Comparata. 7. Nomina. 8. Distributiones. 9. Definitiones. 10. Testimonia. Huc pertinet ratio cujusque rei per locos deducendæ.

9 *Bodinus* in politicis hanc methodum observat. 1. Distributio. 2. Postulata. 3. Definitiones. 4. Regulæ. 5. Leges populorum. 6. Doctrina forensis.

10 *JCti* hanc methodum fermè sequuntur.

Præmitto, scindo, summo, casumq; figuro,
Perlego, do causas, connoto, & objicio.

11 *Vocis* tractatio ita instituatur. Explicetur quinque modis:

1 *Lexicè*, ita ut ejus significatio, quæ est forma vocis, attendatur.

2 *Grammaticè*, juxta significationes puras, ubi tria

ubi tria sunt expendenda, paronymia sive notatio, synonymia, & homonymia.

3 *Rhetoricè*, juxta adsignificationes ornatas: ubi notandum, num sit vox propria vel modificata.

4 *Logicè*, ubi cogitandum, num vox sit 1. Abstracta vel concreta. 2. Primæ vel secundæ impositionis. 3. Incomplexa vel complexa. 4. Certa vel ambigua.

5 *Technologicè*; ubi cogitandum, cujusnam artis sit terminus. Quælibet enim ars suos habet terminos. Ita hæc vox *persona* aliter apud Theologos, aliter apud Comicos significat.

12 *Res simplex* sex modis tractari potest:

1 Reducatur ad prædicabilia.

2 Reducatur ad suum prædicamentum.

3 Reducatur ad suam disciplinam.

4 Deducatur per locos Logicos, methodo vel Aristotelicâ, vel Rameâ. E singulis autem locis singulæ axiomatum & syllogismorum species formentur, verbi gratia: si propositum thema sit *homo*, & illius causam efficientem consideres, oportebit ex hoc loco formare axioma simplex generale, speciale, copulatum &c. itemq; syllogismos in tribus figuris. Jam vel ipse cogita, annon propositionum numerus sit futurus innumerus.

5 Deducatur per varias disciplinas. Sic, e. g.

panis consideratur Theologicè, OEconomicè, & aliis modis.

6 Deducatur per universitatem rerum. Omnia enim de omnibus dici possunt, ut supra traditum est.

13 *Lullii* methodus qualis sit, à nobis sat abundè declaratum est in *Panaceâ Philosophicâ* per totum.

14 *Theologi*, *historici*, *politici*, JCti, in tractatione thematis simplicis persæpe argumenta declarationis ponunt juxta seriem circumstantiarum, quæ exprimuntur hoc versu:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Et certè hæc methodus in practicis & historiis singularem habet utilitatem. Quid enim? Si de lapsu Adami, si de bello Punico vel Belgico disserere velis, numquid has περιστάσεις summâ cum voluptate & utilitate observare potes?

15 *Methodum didascalicam*, quam quidam per contemtum malè vocat *quæstionariam*, nonnulli observant: An, quid, quotuplex, quantum, quale, quæ connexa, quæ repugnantia? Adi, si placet, *Erasmum de cop.* item *compendium Theologiæ Heerbrandi & locos communes Theologiæ Bucani.*

16 *Nobis* semper probata fuit hæc methodus. Con-

Constituto themate fiant quatuor argumentorum classes. In primâ sint argumenta docentia, seu principalia, eaque explicantia seu declarantia, si quidem thema sit simplex, vel demonstrantia seu probantia, si sit thema conjunctum. Secunda classis contineat argumenta amplificantia, qualia potissimùm sunt tria, videlicet ἀντίθεσις, σύγκρισις, & authoritas sive testimonium: quibus pauculis verbis totum amplificationis artificium perstrinximus. Opponi namque possunt causæ, effecta, subjecta & adjuncta contraria, possunt comparari causæ, effectus &c. pares, impares, similes, dissimiles, & singula testimoniis muniri. Vide *Cl. Treutleri methodum eloquentiæ.* In tertiâ classe sint argumenta delectantia: qualia sunt dicta & similia tropis & figuris dictionis illustrata. In quartâ denique classe sint argumenta flectentia, ubi excellunt exempla, gestus, & figuræ sententiæ. Exempla autem colligi possunt juxta intervalla, à nobis notata in *gymnas. Log.* hoc scil. modo:

1 Intervallum à conditu mundi ad diluvium.

2 A diluvio ad Monarchiam Chaldæorum.

3 A Monarchiâ Chaldæorum ad Persarum Monarchiam.

4 Inde ad Græcorum.

5 Inde ad Romanorum, cujus periodi quatuor sunt:

1 A Julio Cæsare ad Constantinum M.

2 A Constantino M. ad Carolum M.

3 A Carolo M. ad Carolum V.

4 A Carolo V. ad nostra usq; tempora.

Jam si conquirenda sint exempla, percurrere oportebit singula ista intervalla, & exempla ex iis adducere: ut, si Theologus orator velit probare Ecclesiam esse semper sub cruce, ita procedet: Ponite, auditores, vobis ante oculos Abrahamum. Interrogate Davidem. Non ego jam loquar, loquatur pro me Paulus. Adesdum Esaia, & doce nos. Hæ & consimiles formulæ sunt, nisi vehementer fallor, valde patheticæ. Quærat autem hîc aliquis, quonam modo argumenta probantia invenienda sint? Huic repono duodecim canones, qui εὑποεία inventionis adjuvabunt insigniter.

1 Oblato aliquo problemate, vide num sit practicum, vel theoreticum.

2 Practicum confirmatur & confutatur 1. è loco effectorum. 2. inspectione circumstantiarum.

3 In loco effectorum considerabis (in hoc enim maximè triumphant Oratores) quatuor classes. 1. Honestum & inhonestum. 2. Utile & in-

& inutile. 3. Facile & difficile. 4. Jucundum & injucundum.

4 In circumstantiis cumprimis spectantur personæ, locus & tempus.

5 Si theoreticum problema occurrat, vide num sit principium vel conclusio.

6 Si est principium, suâ luce radiat, ac proinde probatione haud indiget. Si quis tamen perfrictę frontis malitiosè neget, Orator 1. increpet personam adversarii. 2. deducat eum ad impossibile per primum principium, EST, & NON EST.

7 Si est conclusio, vide num illa sit confirmanda, vel etiam confutanda testimoniis, vel rationibus.

8 Testimonia sunt duûm generum: infallibilia & fallibilia.

9 *Infallibilia* cogunt adversarium, & sunt *omni exceptione majora*, suntque tria: Testimonium Dei in scriptura, fidei in conscientia, & sensus externi.

10 Fallibilia admittunt exceptionem, ut sunt authoritates hominum, qui quidem apud criticos nominantur authores classici, apud facultatum Doctores, authentici.

11 Rationes sic inveniuntur: dato in medium problemate, considera illius partes, subjectum & prædicatum, cumprimis tamen prędicatum, quia est præcipuus quæstionis terminus. Ambæ illæ partes deducendæ sunt per locos inventionis.

12 Ex istis argumentis omnibus constituantur tres classes. Quæcunque enim probant, sunt vel antecedentia, vel consequentia, vel repugnantia. Antecedentia sunt, individuum, species, causæ, subjectum. Consequentia sunt, effectum, accidens, definitio. Repugnantia sunt dissentanea. Affirmatur autem problema è classe antecedentium & consequentium. Negatur è classe repugnantium. *Vide Quintilianum, Cornerum, & nostrum theatrum.*

Ad Canonem tertium velim te insignem observationem notare. Quoties argumentum ducis ab utili vel inutili, & cæteris ibi notatis, cogites illicò tria, videlicet personas, res, & actiones. Hæc tria autem cogites non nudè, sed in quatuor vitæ humanæ ordinibus, œconomico, ecclesiastico, scholastico, & politico, & videas, quomodo illud, quod urges, sit utile ratione personarum, rerum & actionum, e. g. pacis utilitatem sic ostendes. Alloquere personas, res, & actiones œconomicas, ecclesiasticas, scholasticas, politicas. Ostende, quomodo patrifamiliâs, & liberis prosit; ostende agros, ædificia, supellectilem tempore pacis florere; ostende singulos facere posse officium. Alloquere libros, cathedras, præceptores in statu scholastico. Hoc, hoc, inquam, modo orator delectabit & flectet, si accedat ornatus.

Hæc

Hæc dicta sunto de ideâ oratoriâ: jam paucis dicendum de pertractatione.

Pertractatio est, quâ thema unà cùm argumentis ita præconceptis ad finem usq; deducitur: de qua sunt canones.

1 *Nil ejus prætermittatur quod est necessarium.* Necessarium autem est, quod spectat ad ædificationem.

2 *Nihil redundet.*

3 *Methodus prudentiæ primas teneat.* Prudentia summa lex esto. Nam methodus sapientiæ, seu acroamatica & exquisita, non tam oratorem, quàm Logicum decet.

4 *Oratio sit bona, elegans, & decora.* Bonitas orationis consistit in puritate, efficaciâ, & perspicuitate. *Pura* oratio est, quæ est & Grammatica, & Latina. Neque enim omnis qui Grammaticè loquitur, idem & Latinè loquitur. Itaque nil peregrinum, nil sordidum, nil obsoletum in oratione occurrat. *Efficacia* orationis maximè conspicitur in pronominibus, interjectionibus, & figuris sententiæ. *Perspicuitas* est facilitas orationis, ad rem intelligendam, cujus magistra est Logica.

Elegantia orationis consistit in artificio Rhetorico, quò etiam pertinet numerus oratorius, cujus tres sunt partes: 1. transpositio vocum. 2. concatenatio periodorum. 3. periodorum inæqualitas.

Orationis decorum habet hanc regulam: *Oratio sit gravis in re seria, excellenti & difficili: humilis in jocosa & vili materia: æquabilis, sive mediocris, in re mediocri, quæ est partim humilis, partim gravis.*

FINIS ORATORIÆ communis.

LIBER

LIBER TERTIUS
De
EPISTOLICA ET DIALOGISTICA.

Cap. 1. Epistolæ definitio.

Expositâ est Oratoria communis, sequitur specialis.

Oratoria specialis tractat de orationis solutæ distinctione seu differentiâ: aliâs Oratoria propria dicitur.

Differentia orationis est, secundùm quam orationes argumentis inter sese differunt. Argumentum autem est scopus, ad quem orationis genesis (de qua l. 2.) dirigitur. Hinc oratio est vel brevior, quæ dicitur imperfecta & familiaris, vel fusior, quæ dicitur perfecta & solennis. Oratio fusior est vel non-sacra, vel sacra. Ad tractationem istarum specierum accommodanda sunt, quæ libro secundo de oratione cõmuniter dicta sunt. Neq; enim alia præcepta sunt de generali imitatione & elaboratione epistolarum, alia de orationum. *Camer. El. Rhet. cap. de epist. Liebig. de cop.*

cop. verb. c. 99. Hinc talis nascitur oratoriæ propriæ divisio:

Oratoria propria seu specialis agit de oratione vel imperfectâ & familiari, vel de perfectâ & solenni.

De oratione familiari tractat tum Epistolica, tum Dialogistica.

Epistolica est oratoria specialis de ratione scribendi epistolam: aliâs dicitur Epistolographia, Epistoliographia, & Institutio epistolica à Lipsio.

Epistolica est communis, vel propria.

Epistolica communis tractat de epistolæ generalibus: ut vocant.

Generalia epistolæ sunt definitio, communes affectiones, & partes.

Definitio epistolæ est tum nominis, tum rei.

Definitio nominis ita habet: Ἐπιστολὴ παρὰ τὸ ἐπιστέλλειν, quasi *Missoriam* dicas: *Isidorus* interpretatur *Missam lib 7. orig.* Politianus & alii critici legunt *Epistula*. Latinis crebrò *litera*, poëtis *litera*, κατ' ἐξοχὴν, quia hoc genus creberrimi inter literas usus. Nonnunquam *tabula, tabella, codicilli & charta* vocantur. *Lipsius Instit. epist. cap. 1.*

Definitio rei sit ista ex Lips. Inst. epist. 1. 2.

Epistola est scriptum animi nuntium ad absentes, aut quasi absentes.

Dicitur animi nuntium: quia finis epistolæ duplex; aut affectui testando, aut rei significandæ.

Cap. 2. Epistolæ communes affectiones.

EPistolæ *communes affectiones seu proprietates sunt:*

1 *Stili simplicitas*, & quædam quasi negligentia. Est enim quædam negligentia diligens. Non itaque ostentet phaleras & lenocinia verborum scripturus epistolam.

2 *Brevitas.* Nam aliud est epistolam scribere, aliud commentarium. Brevitas autem epistolæ commensuranda est decore, i. e. ei ad quem scribitur, & circumstantię, loci & temporis, quo scribitur accommodanda. *Lipsius c. 17. Instit. epist. Kecker. Rhet. spec. l. 1. cap. 32.*

3 *Ingenuitas, & affectuum lenitas.* Epistola enim esse debet vector & internuncius sermonis, adeoq; animi nostri. Animi itaq; candor epistolis exprimendus, non eruditio ostentanda.

4 *Decorum epistolicum:* quod est respectu personæ & rei, ut omnia pro argumento. Decorum namque illud sumitur ex subjecto, sive eo, qui scribit; ex objecto, sive eo, ad quem scribit; & denique ex circumstantiâ loci & temporis.

Cap. 3. Partes epistolæ.

PArtes epistolæ tres sunt: Materia seu Inventio, Dispositio, & Elocutio seu sermo.

Materia epistolæ est vel externa, vel interna: illa solennis, hæc varians dicitur.

Materia solennis est, quæ in omni epistolâ eadem aut penè eadem, & quasi ex formulâ recurrit.

Ea est propior, vel remotior.

Propior est, quæ connectitur cum ipsâ argumenti tractatione; atque adeò ibi scribitur, ubi ipsa tractatio.

Estq; vel præloquium, vel clausula. Lipsius d. l. cap. 3.

Præloquium est, quod ex ritu præmittitur.

In hoc considerantur nomina & salus.

Nomina, vel suum, vel alienum. Olim nomen suum præponebant veteres etiam ad digniorem: quia videbant, hoc esse primum legentis desiderium, scire à quo missa epistola. Verùm hodie ista nostri nominis præmissio arrogantiam habet. Quapropter appellandi formulâ potiùs utemur: *Serenissime Rex, Illustrissime princeps, clarissime vir.*

Salutem præmittebant olim, ut & hodie: indubiè ex colloquiorum more, (magna enim est affinitas inter epistolam & colloquium familiare,) quo in occursu statim salutamus.

Formulæ

Formulæ generales primitùs erant S.P.D. *Si vales, bene est, ego valeo.* S.V.G.E.V. Sed hîc observandi sunt mores gentium.

Clausula est, quæ terminat epistolam.

Ejus pars est perpetua, vel varians.

Perpetua pars est valedictio, seu votum: quod est vel explicitum, ut brevis precatiuncula ad Deum; *vel implicitum, ut est solum* Vale, *aut etiam conjunctum cum affectu, ut*, Vale & me ama.

Pars varians clausulæ est triplex:

1 *Loci adjectio.*

2 *Temporis expressio.*

3 *Subscriptio*, quæ veteribus ignota.

Subscriptio illa duo continet, obsequii significationem, & nominis adjectionem.

Talis est materia epistolæ propior: remotior est, superscriptio seu inscriptio; quæ in tergo epistolæ jam clausæ & signatæ scribitur, veteribus ratò usurpata. In titulis illis sola consuetudo gentium attendenda est, & retinendæ solennes titulorum formulæ.

Exposita est materia epistolæ externa seu solennis, sequitur interna seu varians, quæ diversa in quaq; epistola est, ipsa scilicet occasio & causa scribendi.

Sic de inventione epistolicâ, sequitur dispositio, quæ est illius ordo.

Ordo epistolæ pro re natâ debet observari.

Rectè *Lipsius Instit. epist. c. 6. Ordo epistolæ*, inquit, *aut nullus, aut negligentiusculus.*

Superest ultima epistolæ pars, videl. elocutio, seu stilus epistolicus.

Stilus epistolæ consideratur universè, vel distinctè.

Universè in toto habitu; ubi observari debent:

1 *Brevitas*, eaq; *rerum*, ut supervacuum nihil admisceatur; & *compositionis*, ut periodus longior evitetur.

2 *Perspicuitas*, quâ fit, ut verba sint propria, usitata & ritè collocata.

3 *Venustas*, ut totus sermo sit alacer atque vivus, adeoque respersus adagiis & salsis jocis.

Distinctè consideratur stilus, quoad phrases, in quibus requiritur nitor & elegantia, & *verba*, in quibus proprietas & Latinitas. Vide *Lipsi. Inst. epist. à cap. 7. ad 12. & Possevinum part. 2. Biblioth. l. 18.*

Cap. 4. Epistolæ genera.

EXpeditâ *epistolicâ communi, veniemus ad enarrandam propriam.*

Epistolica propria seu specialis enarrat distinctionem sive genera epistolarum, & scriptores earum.

Distinctio epistolæ sumitur partim à materiâ, partim à formâ, partim à personis.

Distin-

Distinctio à materia sumitur ista: Epistola est vel representativa, vel vera.

Epistola representativa est, quando finguntur personæ, ad quas quis scribat.

Utilissimum hoc est stili exercitium, si eloquentiæ studiosus variis de rebus & casibus, ut vocant, ad varias scribat personas, videl. ad Imperatorem, ad Ordines Imperii, ad Doctores, ad Politicos; non quidem ut mittat istas epistolas, sed ut ita sese exerceat, & stili rationem diversam condiscat.

Epistola vera est, quando nominatas habemus personas, certamq; materiam.

Utraq; est vel familiaris, vel docta, vel seria. Lipsi. Inst. epist. c. 5.

Familiaris epistola est, quæ res tangit nostras aut circa nos, quæq; in assidua vita. Hæc est propria & creberrima epistolæ materies: imò germanæ illius una.

Docta est, quæ continet pertinentia ad sapientiam, scientiam, prudentiam, vel artem.

Estq; triplex:

1 *Philologica*, quæ in amœnioribus eloquentiæ studiis occupatur: aliâs *Critica*.

2 *Philosophica*, quæ in amœnioribus studiis sapientiæ, scientiæ, & prudentiæ versatur.

3 *Theologica*, quæ sacris rebus dedita.

Seria est, quæ tractat de rebus vel publicis, ut sunt narrationes, deliberationes de militia, &

similes, *vel privatis*, ut sunt consolationes, objurgationes, laudationes.

Seria est, vel simplex, vel mixta.

Simplex, quando in una re veluti pedem figimus.

Tria sunt genera harum epistolarum, ut rectè annotat *Voëllus de ratione conscribendi epistolas.*

1 Generis deliberativi sunt epistolæ: 1. Suasoriæ & Dissuasoriæ. 2. Hortatoriæ & Dehortatoriæ. 3. Petitoriæ. 4. Commendatitiæ. 5. Consolatoriæ. 6. Responsoriæ ad consolationem. 7. Monitoriæ. 8. Convitiatoriæ. 9. Reconciliatoriæ. 10. Conciliatoriæ.

2 Generis judicialis sunt epistolæ: 1. Criminatoriæ. 2. Defensoriæ. 3. Expostulatoriæ. 4. Exprobratoriæ. 5. Purgatoriæ. 6. Excusatoriæ.

3 Generis demonstrativi sunt epistolæ: 1. Nunciatoriæ seu narratoriæ. 2. Lamētatoriæ. 3. Gratiarum actionis. 4. Gratulatoriæ. 5. Officiosæ. 6. Disputatoriæ. 7. Collaudatoriæ. 8. Deprecatoriæ.

Mixta epistola est, quæ continet varia argumenta: v. g. suasionem, & consolationem, & petitionem.

Libanius Sophista, Ludovicus Vives & alii alia epistolarum genera & aliter recensent. Nos traditam methodum sat exquisitam esse contendimus, eamque sequentibus monitionibus illustramus.

Supe-

Superiori seculo hic error invaluerat, ut existimarent, præcepta de conscribendis epistolis non pertinere ad pomœria alicujus artis. Putarunt vel nulla esse methodica præcepta institutionis epistolicæ, vel certè illa toto cœlo distare à præceptis methodi eloquentiæ. Qui error, mirum dictu est, quàm involvat discentium ingenia. Etenim quicquid est in rerũ natura, de quo aliquid cogitari potest, id tradi debet in certa aliqua disciplina. Τέμνονται γὰρ αἱ ἐπιστήμαι ὥσπερ τὰ πράγματα, ait Philosophus. Quum igitur tot dicantur de epistolis, utiq; erit aliqua institutio epistolica. Dicunt ex Oratore *ad Attic. epistolas debere interdum hallucinari.* Proinde nullis opus esse præceptis. Dico ego: Nulla est consequentia: In epistolis scribendis non opus est methodo acroamaticâ. Ergo prorsus non est opus methodo. Non enim valet argumentum à non distributo ad distributum. Est opus præceptis non acroamaticis, non exquisitis, sed exotericis, sed popularibus. Si igitur est aliqua institutio epistolica, ea pertinebit ad aliquam disciplinam. Non enim res sunt multiplicandę sine manifestâ necessitate. Hujus argumenti vim videns *Cl. Keckermannus*, ad Rhetoricam retulit totam hanc epistolicam Institutionem, quia scil. non distinxit inter Oratoriam & Rhetoricam. Nos, qui attendimus maximum illud discrimen, referimus ad Oratoriam. Keckermannus præterea putat, de epistolis tra-

ctandum esse post orationes, quas vocant: quia scilicet imperfectum reducendum sit ad perfectum. Verùm nos contradicimus viro magno. Nam in Oratoria communi tradita sunt ea, quæ epistolis & orationibus communia sunt: ita ut ea methodo eloquentiæ ista communia non sint petenda. Quid? Natura à brevioribus incipit. Et verò aliter laudamus in epistolis, in orationibus aliter. Denique epistola perfecta est oratio, in suo genere. Eapropter jam singulas epistolarum species percurramus, initium facientes ab epistolis doctis.

In epistolis *philologicis* sive criticis proponenda est quæstio, & de eâ variæ sententiæ unà cum argumentis adjiciendæ, nostra denique subjicienda, & alterius roganda. Tales occurrunt sæpe multæ apud *Politianum* & *Lipsium*. Hujusmodi epistolæ aliâs vocantur textuales.

In epistolis *philosophicis* eâdem methodo procedendum: quales vide apud *Julium Cæsarem Scalig.*

In *Theologicis* eadem methodus observanda. Hìc commendo epistolas *Calvini, Bezæ*, & *Melanchthonis.*

Familiares epistolas & serias jam exequamur: oportet juxta præscriptum nostrum, sequuti absolutissimos scriptores epistolicos *Melchiorem Junium*, & *Voëllum.*

I. Principiò occurrunt epistolæ suasoriæ & dissuasoriæ.

soria. In *suasoriis* epistolis sumendæ sunt rationes ab honesto, utili, necessario, jucundo, facili, possibili: quæ rationes amplificantur ab exemplo, majori, minori, & contrario. In *dissuasoriis* argumenta ex contrariis locis ducenda erunt; ut à turpi, ab inutili.

II. Epistolæ hortatoriæ & dehortatoriæ. Exhortamur autem à laude, spe præmiorum, metu incommodorum, odio, amore, miseratione, expectatione, exemplis, obsecratione. Hi enim sunt quasi stimuli quidam, & incitamenta virtutum. *Dehortamur* à personis, quibus infeliciter cessit, à rei turpitudine, à probro, convitio, incommodo.

III. Epistolæ petitoriæ sic informandæ sunt. Primùm ejus, à quo petimus, benivolentia nobis concilianda est, à personâ ipsius & materiâ. Deinde narratio petitionis subjicienda. Tum docendum, esse rem piam, justam, honestam, nobis necessariam, illi facilem & honorificam. Ad extremum sequetur remunerationis pollicitatio.

IV. In *epistolis commendatitiis* quinque sunt ostendenda. 1. Esse nostrum amicum, quem cõmendamus. 2. Esse eum commendatione dignum. 3. Eum, ad quem scribimus, fuisse aliis benivolum. 4. Rem, de quâ scribimus, esse æquam & facilem. 5. Fore nos beneficii memores.

V. Consolatoria epistola ostender, vel prorsus non esse dolendum, vel non adeò dolendum.

Malum itaque extenuabitur, exempla illustria cordatorum virorum colligentur, providentia Dei afferenda, nostra & aliorum opera offerenda.

VI. Responsoria ad consolationem continebunt gratiarum actionem, & significationem consolationis, quæ ex epistolâ ad nos redierit, denique argumenta nova, quibus nos ipsos erigimus.

VII. In *monitoria epistola* ostendendum est, quid fugiendum, quid faciendum. Oportet autem hîc authoritatem induamus ab ætate, quâ illum præcedimus, à multarum rerum usu & doctrinâ, quæ in eo per ætatem tanta esse non possunt.

VIII. In *convitiatoria* ita procedendum, ut ne charitatis Christianæ præceptum violemus. Convitia ibi oportet fieri sine vitiis. Nam si alterius vitam & vitia velimus carpere, nostra vitia non debemus ostendere. Eapropter principiò exprimamus dolorem tum nostrum, tum aliorũ ex officio neglecto; reprehendamus eum variis argumentis; & meliorem ad frugem ut redeat, admoneamus; Deum deniq; pro illo invocemus. Summa: in epistola convitiatoria ab initio oportet indicare & nostrum dolorem, & rei atrocitatem: Deinde in viam revocabimus.

IX. In *reconciliatoria* nostrum vel alterius delictum fatebimur, veniamque petemus, argumentis ductis à naturæ humanæ imbecillitate, & consi-

consimili, in quod amicus, ad quem scribimus, ruere possit, delicto.

X. In *conciliatoria* primò causæ recensendæ, quæ nos ad ambiendam amicitiam permoverunt: deinde nostrum studium significandum.

XI. In *criminatoria* epistola seu accusatoria ab initio oportet indicare & nostrum dolorem, & rei atrocitatem: Deinde ipsam rem demonstrabimus.

XII. *Defensoria* epistola, vel planè negabit, vel factum aliter explicabit.

XIII. In *expostulatoria* epistola 1. Querimonia nostra exponenda. 2. Querimonia mitiganda est laude, joco, dissimulatione, ut ne lædat amicitiam. 3. Bene interpretabimur. 4. Monebimus ut cautè agat.

XIV. In *exprobratoria* conscientiam & nostram, & amici testabimur, ingratitudinem illius, & nostra merita exaggerabimus.

XV. In *purgatoria* & XVI. *Excusatoria* 1. Ostendemus, nos non modò nihil offensos, sed etiam delectatos monitione. 2. Detestabimur suspicionem nobis objectam. 3. Rationibus probabimus nostram innocentiam.

XVII. In *narratoria* breviter narramus totum negotium, & amici vel judicium, vel preces requirimus.

XVIII. In *lamentatoria* unumquemq; dolor reddit disertum. Cavendum tamen, ne effœminatum animum ostendamus.

XIX. In *gratiarum actione* instituenda sic procedimus. 1. Beneficium acceptum laudabimus, quòd ultrò, citò, sine merito, ne expectanti quidem, ab amico collatum sit. 2. Promittemus nos gratiam relaturos.

XX In *gratulatoria* 1. Exaggerabimus nostrum gaudium. 2. Bonum, quod consecutus est, extollemus. 3. Bene precabimur, ut sit felix.

XXI. In epistola *officiosa* amicis, nil tale petentibus, operam nostram ultrò deferimus, rogantes ut æqui boni consulant.

XXII. In epistola *collaudatoria* cogitetur illud Euripidis: λίαν ἀινεῖν βάρος. Laudabimus autem in genere rectum factum, & in specie tale factum, allatis circumstantiis, & exemplis illustribus.

XXIII. In *disputatoriis* epistolis 1. ponenda occasio. 2. quæstio. 3. aliorum sententia. 4. nostra sententia. 5. rogandum judicium.

XXIV. In *deprecatoria* epistola culpam fatebimur, eamque extenuabimus ab ætate, imprudentiâ, & delicti genere. Nostram pœnitudinem significabimus: ejus, ad quem scribimus, clementiam laudabimus, spem melioris vitæ ostendemus.

XXV. Epistolæ mixtæ sunt frequentes: quales sunt senatoriæ, aulicæ, militares, in quibus 1. ponenda occasio. 2. consilium aliorum. 3. consilium nostrum. 4. rogandum judicium.

Tantum

Tantum de distinctione epistolæ secundùm materiam: restant distinctiones ejus à formâ, quibus epistola distinguitur in laxiorem seu Asiaticam, & in pressiorem seu Laconicam.

In epistola Asiatica inventio est copiosior, & exornatio fusior, & periodi laxiores. Hic enim est Asiatismus orationis.

In epistola Laconica & inventio, & exornatio, & periodi sunt pressiores. Hic enim est Laconismus orationis.

Superest distinctio epistolarum à personis sumta, ratione ætatis & sexus. Est enim alia juvenis, alia viri, alia senis; alia viri ad virum, alia juvenis ad puellam, alia viri ad matronam.

Istarum epistolarum ratio ex decoro Ethico, OEconomico & Politico intelligitur. Pertinent autem huc epistolæ jocosæ, amatoriæ, & heroidum, quales apud Ovidium.

Cap. 5. Scriptores epistolarum.

E*Narrata sunt genera epistolarum: superest ultimum Epistolicæ institutionis caput, de scriptorib. epistolarum:* de quibus hoc est nostrum judicium.

Scriptores epistolarum Asiaticarum primò legantur. Sunt autem Asiaticæ epistolæ pleræque familiares *Ciceronis*, itemque epistolæ *Manutii, Longolii, Mureti, Sadoleti, Erasmi, Politiani, Achami.* Sed quomodo hæ epistolæ legendæ? Hoc

pacto: Fiat index secundùm 25 genera epistolarum, & enotentur ex illis authoribus epistolæ cognatæ, ita tamen, ut in puerili lectione solus Cicero evolvatur; in crescente ii, qui à Cicerone minimùm abeunt; in adulta omnes, qui haberi possunt, Asiatici & Laconici scriptores, ut sunt *Cicero ad Attic. Seneca in epistolis, & Lips.* hodieq; Lipsiani, quos vocant. Epistolæ ad Atticum, teste *Sturmio de imit. c 5.* omnino sunt subtiles, in quibus sermo est verè Romanus & Latinus. Suntq; meliores, quàm quævis colloquia παιδολογικὰ, aut. ἀφελογικὰ. Laconicis autem epistolis non utendum est, nisi post annum ætatis 23 aut 25: potissimùm autem in ætate virili & senili, & quando occupationibus distinemur variis. Utendum etiam est Laconismo ad inferiores potiùs & pares, quàm ad superiores; apud quos, nî cautè utaris, Laconicus stilus contemtum parit. Hîc velim consimiliter Indicem fieri ad epistolas Lipsianas & alias. Gustum hujus rei dabimus in epistolis Ciceronis.

I. EPISTOLÆ SUASORIÆ.

LIB.	EPIST.
2.	8.
4.	1.7.8.9.10.
5.	21.
6.	8.12.

DIS-

DISSUASORIÆ.

5.	14.
6.	19.
7.	21.

II. EPISTOLÆ HORTATORIÆ.

3.	9
4.	15.

DEHORTATORIÆ.

6.	20.
8.	6.
10.	3.

Hunc indicem (si accedant reliqua genera) velim esse instar locorum communium epistolicorum.

Cap. 6. Dialogistica.

FUit *Epistolica, sequitur breviter Dialogistica.* *Dialogistica tractat de naturâ dialogi.* Nam dialogus æquè est oratio imperfecta & familiaris atq; epistola.

Natura dialogi explicatur ejus proprietatibus, & distinctione.

Dialogi proprietates continentur quatuor canonibus.

1 *Dialogus est intermedius inter orationem perfectam Rhetoricam. & Logicam.* Itaque in col-

loquiis familiaribus disputationes movere de rebus magnis, est contra naturam dialogi, ut nihil dicam de bonis moribus.

2 *Dialogus requirit genus sermonis maximè proprium, & è tropis admittit maximè metaphoram.*

3 *Brevissima periodi in dialogis sunt ipsorum vita & decus.*

4 *Vox & gesticulatio in colloquio familiari debet esse maximè naturalis.*

Distinctio dialogi est alia in partes, alia in species.

Partes dialogi sunt, salutatio, res ipsa, & valedictio. Formulas singularum partium tibi suppeditabunt artifices dialogorum eximii, *Terentius, Plautus, Erasmus in colloquiis, & Jacobus Pontanus Jesuita.*

Species dialogi sic habent: Dialogus est vel verus, vel representatitius.

Dialogus verus est, quando duo, plúresve colloquuntur.

Dialogus representatitius est, quando finguntur personæ colloquentes. Et hic permagnam habet utilitatem in Ethicis, OEconomicis & Politicis, ut videre est apud Platonem, Lucianum, & alios.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER

LIBER QUARTUS
De METHODO ELOQUENTIÆ.

Cap. 1. Flexanima definita.

EXpoſita eſt *Oratoria ſpecialis Epiſtolica & Dialogiſtica: ſequitur Oratoria ſpecialis dogmatica, quæ tractat de oratione fuſiore*, ſeu perfectâ & ſolenni.

Oratoria ſpecialis dogmatica eſt vel non-ſacra, vel ſacra.

Oratoria non-ſacra (ſive politica) *eſt vel Flexanima, vel Critica.*

Flexanima eſt methodus eloquentiæ, quæ tractat de conſtitutione & promulgatione orationis ſolutæ fuſioris non-ſacræ.

Oratio ſoluta brevior dicitur dialogus vel epiſtola, prolixior autem vocatur ἐξοχὴ quadam oratio.

Oratio ita dicta eſt vel ſacra, dicitur concio; vel non-ſacra; uti ſunt orationes Ciceronis, & aliæ, quarum conſtitutionem & promulgationem docet Flexanima, ſive methodus eloquentiæ. Dicitur autem Flexanima à fine ultimato, ut

Scholastici, sive ultimo, ut Latini nostri, loquuntur. Oratoris enim ultimus finis est, persuadere dictione, hoc est, flectere, seu aculeos in animis hominum relinquere.

Cap. 2. Præcognita Flexanimæ.

Flexanima ita definita, traditur per Præcognita, Systema, & Gymnasium.

Præcognita sunt de subjecto, in quod finis introduci, & fine, qui in subjectum introduci debet.

Supra tradita sunt præcognita Oratoriæ in communi consideratæ: hîc specialia traduntur.

Subjectum est orator, qui de omni re propositâ accommodatè ad persuadendum dicere potest in foro vel schola.

Orator hoc loci non consideratur latissimè ut suprà, sed strictè, cujus materia circa quam, sive objectum, est res omnis, de quâ quæri & disceptari potest. *Cic. 2. de orat. Voëll. de orat. l. 1. c. 1.*

Forma autem, quæ oratorem efficit, eique tribuit id quod est, est eloquentia, quæ nihil est aliud, nisi copiosè loquens sapientia. *Cic. in part.* Addidi in definitione: *in foro vel schola*: ut distinguerem oratorem politicum (liceat ita loqui) ab ecclesiastico, qui dicitur concionator; de cujus officio infra *lib. 6.*

Finis

Finis oratoris est, persuadere dictione, ut medici sanare curatione. *Cic. 1. de invent.*

Persuadere est finis ultimus, remotus est docere, intermedius delectare. Tria igitur sunt oratori efficienda, ut doceatur is apud quem dicetur, ut delectetur, ut moveatur. *Sturm. de imit. cap. 8. Voëll. l. 1. de orat. cap. 2.* Docere quidem est minùs principale oratoris officium. Hoc enim facit per Logicam. Movet autem & flectit per Rhetoricam. Orator igitur præcipuè respicit ad cor, ut illud vario affectu concitet: Logicus contra præcipuè respicit mentem. Sic autem orator affectum concitare debet, ut eum vel gignat, vel tollat, vel sedet. Gignat quidem, si non adsit: augeat, si non satis vehemens sit: tollat denique, si sit malus. Summa: oratoris officium est movere, vel amovere affectum. Hujusmodi affectus sunt, lætitia, tristitia, desiderium, spes, timor, verecundia, zelus, invidia. Affectus autem cùm apud varios sint varii, oratoris prudentis est habere rationem & discretionem auditorum: nempe cujus sint status, num politici, vel Theologi; cujus ætatis, num juvenes, vel senes; cujus fortunæ, num divites, vel pauperes; cujus denique temperamenti, num melancholici, vel cholerici.

Talia sunt præcognita de subjecto & fine; media jam sunt cognoscenda, videlicet cura artis, & exercitationis, illa in systemate, hæc in Gymnasio methodi eloquentiæ.

Cap. 3. De quæstione oratori subjectâ.

SEquitur Systema methodi eloquentiæ de officio oratoris.

Officium oratoris est quinquepartitum, Inventionis, Dispositionis, Elocutionis, Actionis, Memoriæ. Sturm. de Imit. l. 2. c. 8.

Ex his quinque alia sunt semper, alia sæpè necessaria. Semper necessaria sunt tria prima, quia sine iis oratio nec formari, nec haberi potest: postrema duo non semper sunt necessaria, quia sine iis componi potest oratio, at non haberi in umbraculis scholarum, vel causis civilibus. Ibi exercitationis causâ, hîc seriò agitur. Et quidem Inventio atq; Dispositio potissimùm faciunt ad bene docendum, Elocutio ad ritè delectandum, Actio & Memoria ad flectendum. De singulis ordine. Tria priora faciunt ad orationẽ formandam, duo posteriora ad eandem promulgandam.

Inventio est primum oratoris officium, quâ constituuntur termini orationis.

Ea est tùm quæstionum, tùm argumentorum.

Quæstio tractanda est vel dialectica, vel physica, vel ethica atq; politica.

Quæstionum tria sunt genera apud Aristotelem: unum sermonis, & disputationis, *dialecticum:* alterum naturæ, *physicum:* tertium morum, quod *ethicum* atque *politicum est.* Et hoc tres in partes

partes distributum est; quarum una est fori & judiciorum, in litibus: altera curiæ & senatus, in consiliis: tertia concionum, in laudationibus.

Quæstio illa tergemina est vel infinita, vel finita.

Quæstio infinita dicitur thesis.

Thesis est theoretica, vel practica.

Thesis theoretica est, cujus finis est cognitio: ut, verine sint sensus?

In hâc quæritur tripliciter: *an sit, quid sit, quale sit? Illa conjecturæ, ista definitionis, hæc juris dicitur.*

Quæstio An sit, conjecturâ explicatur.

Conjecturæ ratio in quatuor partes distributa est: quarum una est, cùm quæritur, an sit aliquid? Ut an plus sit in naturâ, an in more? *Altera, unde ortum sit?* ut, naturâ an doctrinâ possit effici virtus? *Tertia, quæ id causa effecerit?* ut, cùm quæritur, quibus rebus eruditio paretur? *Quarta, quâ de mutatione rei quæritur:* ut, an virtus in homine interire possit?

Quæstio Quid sit, explicatur definitione, cujus ratio itidem in quatuor partes distributa est, ita ut quæstionum definitionis quatuor sint species. Est enim

1 *Quæstio notionis,* cùm quæritur de principiis naturalibus: ut, Sítne id æquum, quod ei qui plus potest, est utile?

2 *Quæstio proprietatis,* cùm quid cujusque rei

proprium exquiritur: ut, ornatè dicere, propriúmne sit oratoris, an id etiam aliquis alius possit?

3 *Quæstio partitionis & distributionis*, cùm res dividitur in partes: ut, si quæratur, Triánesne sint genera bonorum?

4 *Quæstio descriptionis*, cùm quæritur de formâ, & quasi notâ cujusque: ut, si quæratur avaritia vel seditiosi species?

Quæstio quale quidq; sit, appellatur quæstio consecutionis, quia quid quamq; rem sequatur, inquiritur: ut, Sítne viri boni aliquando mentiri?

Et hæc est simplex, vel comparata.

Simplex, quâ simpliciter quæritur, vel de honestate, vel de utilitate, vel de æquitate rei: ut, honestúmne sit pro amico periculum subire? Sítne utile in Republica administranda versari? Sítne æquum amicos cognatis anteferre?

Comparata, quâ quæritur de majore rei honestate, utilitate, vel æquitate: ut, Utiliórne sit urbana fortitudo, an militaris?

Quæstio practica est, quæ finem habet actionem. Ea pertinet vel ad officium, vel ad motus animorum.

Ad officium, cùm quid rectum, faciendúmve sit, quæritur: cui loco omnis virtutum & vitiorum sylva est subjecta: ut, num colendi sint parentes?

Est q; de rebus futuris, vel præsentibus. Præteritorum enim nulla est actio.

De fu-

De futuris cùm bonis, tum malis.

De futuris bonis quæritur, quomodo acquirenda: ut, Quibus rebus gloriam adipiſci poſſis?

De futuris malis quæritur, quomodo declinanda: ut, quomodo invidia ſit declinanda?

De præſentibus tam bonis quàm malis quæritur, quomodo ad commodum & uſum referenda: ut, quomodo utendum ſit amicitiis, divitiis, honoribus? quomodo in paupertate ſit vivendum?

Quæſtio actionis, ſeu practica, quæ pertinet ad movendos animos, duobus generibus continetur. Unum genus tractatur ad ſedandos animos, & oratione ſanandos: ut in conſolandis mœroribus, in iracundiâ comprimendâ, aut in timore tollendo, aut in cupiditate minuendâ.

Alterum genus pertinet ad eosdem illos animi motus vel gignendos, vel concitandos.

Hæc de theſi: ſequitur hypotheſis, quæ eſt quæſtio finita, quæ notationem circumſtantiarum in ſe habet.

Ex hypotheſi efflorescunt tria cauſarum genera, demonſtrativum, deliberativum, & judiciale.

Demonſtrativum genus eſt, quod conſumitur in laude & vituperio, putà rei, perſonæ, facti.

Deliberativum eſt, quod in conſultatione poſitum, habet in ſe ſuaſionem & diſſuaſionem: cui ſubjiciuntur conciliatio, reconciliatio, exhortatio, dehortatio, conſolatio, petitio, commendatio, monitio, pollicitatio.

Judiciale est, quod in controversiâ positum in se habet accusationem, aut petitionem cum defensione: quò pertinent accusatio, excusatio, defensio, expostulatio, purgatio, exprobratio, invectiva, delatio.

In genere judiciali quæstio proprio nomine vocatur status, qui etiam in deliberationibus & laudationibus existere potest.

Status est triplex.

I. Conjecturalis, in quo de ipsa re quæritur, an sit nec ne: ut, an Cælius venenum parârit Clodiæ?

II. Definitivus: in quo non de re dubitatur, sed de nomine ejus contenditur, & quæritur, quid sit? ut, crimináne sint, an maledicta, quæ objiciuntur Cælio?

III. Qualitatis: in quo nec de re, nec de nomine, sed de qualitate rei quæritur.

Est q3 duplex, Legalis, & Rationalis.

Legalis est, cùm ex legibus, decretis, consuetudinibus oritur controversia: quæ quidem est triplex. Aut enim in lege est ambiguitas: aut leges sunt contrariæ: aut in mentem legislatoris inquiritur.

Rationalis est, quum de probabilibus causis disceptatur.

Est q3 vel negotialis, vel juridicialis.

Negotialis, in quo de re futurâ vel faciendâ quæritur.

Juridicialis, in quo de præteritis quæritur, jurén facta sint, an injuriâ?

Atque

Atquæ hæc est inventio quęstionum: quas nisi orator apud se distinctissimas habeat, nunquam feliciter dicet.

Cap. 4. De Argumentorum inventione.

SEquitur inventio argumentorum, cujus considerabimus theoriam & praxin.

Theoria est de inventionis distinctione: quòd sit generalis, vel specialis.

Generalis, quâ inveniuntur argumenta Logica, eaq; docentia & amplificantia: Ethica sive delectantia: Pathetica sive moventia. Hoc locorum genus est primum dignitate. Fons enim est ex quo deducuntur rivuli tres, ad tria prata oratoria irriganda: quæ sunt tria genera, demonstrativum, judiciale, deliberativum: quorum fines quum sint distincti, utique & diversa eorum itinera sint oportet.

Argumenta docentia & amplificantia sunt, quæ inveniuntur ex & in locis dialecticis, de quibus Quintilianus: Omnis probatio fit per antecedentia, consequentia, & repugnantia. *Vide supra lib. 2.*

Argumenta delectantia sunt, quæ inveniuntur è locis ethicis, virtutum, vitiorum, & personarum.

Argumenta moventia sunt, quæ inveniuntur è locis Dialecticis & Ethicis, & figuris Rhetoricis.

Primum igitur genus rationis & fidei est: alterum suavitatis & delectationis: tertium motus atque perturbationis. *Sturm. de imit. l. 1. c. 9.* Primum genus continet nomina dialectica à toto, à partibus, à definitione, & similibus. Secundum nomina virtutum, amoris, amicitiæ, liberalitatis, castitatis. Tertium genus continet nomina perturbationum, odii, iræ, miseri cordiæ.

Cap. 5. Genus locorum θετικὸν.

INventio locorum *specialis est, quâ constituuntur quatuor genera*, quæ sunt, θετικὸν, ὑποθετικὸν, κατηγορικὸν ἐπιχειρηματικὸν sive περιστατικὸν. *Sturmius d. l.* ubi ait, quatuor ista locorum genera continere thesaurum eloquentiæ, omnemque oratoris supellectilem.

Primum locorum genus est θετικὸν, *quod est copiosum, atque magno argumentorum apparatu instructum, proprium Peripateticorum, & accommodatum ad quæstiones infinitas, quas diximus vocari theses.* De his locis vide *suprà lib. 2.* Vocantur etiam loci Dialectici.

Cap. 6. Genus locorum ὑποθετικὸν.

GEnus locorum ὑποθετικὸν *est finitarum quæstionum, quas vocavimus hypotheses causarum prium in demonstrationibus, deliberationibus, & judiciis*

judiciis, quarum quia certi fines sunt, loci etiam certi sunt, qui omnes hujusmodi sunt, ut ex primo genere locorum illo dialectico in hoc genus defluant, factis ab Oratore tanquam ex alti montis perenni fonte, in prata & campos oratorios irriguis rivulis, quibus ipsa humectetur oratio. Sturm. l. 1. de imit. c. 9. Sunt igitur argumenta hypothetica generis demonstrativi, deliberativi & judicialis: de quibus ordine videndum, sed breviter. Plura vide apud *Raym. Lul. in Rhet. & Voël lib. 2. de Oratore à cap. 13. ad finem libri, & Jasonem Nores de tribus Rotis generis demonstrativi, deliberativi & judicialis, & Anton. Possevinum lib. 18. Bibliotheca selecta.*

In genere demonstrativo laudantur vel vituperantur persona, facta & res.

Loci personarum dividuntur secundùm ordinem vel naturæ, vel doctrinæ.

Ordo naturæ est, cùm à persona primis ad ultima progredimur; vel, si libet, licet enim, ab ultimis ad prima regredimur, & exhibet septem locos, qui sunt:

1 *Natio* seu patria: ubi notentur mores & ritus cuiq; populo peculiares, & locus celebris.

2 *Natales:* ubi majores & parentes spectantur, quorum nobilitati respondisse, & ignobilitatem illustrasse, pulchrum est, dedecori fuisse turpe. Hoc loco res præclaræ à majoribus gestę proferantur.

3 *Pueritia*: ubi ingenium, educatio & disc plina, cura parentum & institutio præcepto rum.

4 *Adolescentia*: ubi mores & studia virtutu adeoque præceptores, commilitones, patroni de nique notentur.

5 *Juventus & virilis ætas:* ubi præclara fact & virtutes.

6 *Senectus:* ubi consilium & pietas.

7 *Mors:* ubi qualis ea fuerit, quidq; eam secu tum sit, ut honores, fama, statuæ.

Ordo doctrinæ est, cùm quæ personis insunt, o mnia in certas quasi classes & distincta genu referimus: & exhibet locos tres, videlicet Bona

1 *Animi*, ut ingenium, memoria, indoles bo na, virtutes intellectuales & morales. In quibu explicandis sequemur aut ætatis, aut rerum ge stārum, aut ipsarum virtutum ordinem: ut qui puer gesserit, quid adolescens, quid juven quid vir, quid senex: qualis fuerit in patriam, parentes, in liberos.

2 *Corporis:* ut forma, valetudo, vires, velocita agilitas membrorum.

3 *Fortunæ:* ut genus, opes, honores, amicitiæ liberi, propinqui, affines, nobilitas, authorita quòd nempe ea habuerit, iisq; rectè sit usus.

In vituperatione eadem est locorum ratio, sed in contrarium commutata.

Fac

Facta laudantur è sex locis, quæ sunt, legitimum; quod est legibus sacris & profanis, & exemplis bonorum commendatum; *justum*; utile; possibile; *honestum*, quod suâ naturâ laudabile est, propterq; se expetendum; *facile*.

Vituperantur è sex contrariis.

Res laudantur ex honestate, utilitate, & facilitate. Ad honestatem referuntur antiquitas, origo, inventores, & rei præstantia. Ad utilitatem usus, commoda, fines, effectaque cum circumstantiis. Facilitas est, quando utilitas facilè parabilis ostenditur. *Vituperantur è contrariis.*

Cæterùm in demonstratione rerum non est unius modi laudandi ratio. Nam laudamus

I Regionem, ab antiquitate, à primis cultoribus, ab amplitudine, situ, principibus, urbibus maximis & clarissimis, à montibus ac sylvis, fertilitate, tuto itinere, humanitate, studiis, aëris clementiâ, religione, aquis.

II. Urbem, ab antiquitate, situ, conditoribus, principibus, legibus & institutis, populi frequentiâ, à fortitudine & civilitate, à civium concordiâ, à domorum magnificentiâ, vicorum latitudine & munditiâ, à variarum rerum copiâ, à cœli temperie, ab amœnitate, à fluminibus allabentibus, à villis, montibus, fontibus, sylvisque vicinis.

III. Domus, sive *ædificia*, ab amplitudine, areâ,

atrio, figurâ, materiâ, cubiculis, penetralibus, situ, prospectu, horto, puteo vel fonticulo.

IV. Agros, ab amœnitate loci, fertilitate, varietate fructuum, culturâ.

V. Fluvios, ab ortu, scaturigine copiosâ, velocitate, colore, piscium generibus & multitudine, ab aliis fluviis quos recipiunt, à locis quæ alluunt aut præterfluunt, à navium frequentiâ & formâ, à latitudine, & aliis commoditatibus.

VI. Montes, à radicibus, ab altitudine, à vini frumenti & aliarum rerum fertilitate, denique feris.

VII. Fontes, à perpetuâ & abundanti scaturigine, ab aquæ dulcedine & salubritate. Ita patet ad genus demonstrativum referri descriptiones animantium, monstrorum, regionum, urbium, arcium, locorum, temporum, tempestatum, conviviorum, pomparum, fluviorum; item gratiarum actiones, expositiones historicas, gratulationes, lamentationes, &c.

In genere deliberativo (ubi suademus & dissuademus) *duo veniunt consideranda. I. Objecta, de quibus consultatur: sunt q; quatuor: 1. Res sacræ seu divinæ. 2. Leges atq; statuta. 3. Pax & bellum. 4. Pacta seu confœderationes. II. Locus ipsius. Sunt autem septem argumenta, quibus probatur aliquid esse eligendum vel reprobandum, dicendum vel reticendum, faciendum vel fugiendum. 1. Est justum & injustum:* quod perpenditur ju-

ur juxta jus naturale, jus gentium, & jus municipale seu consuetudinis. 2. *Legitimum* & illegitimum, quod perpenditur juxta legem divinam & humanam, quæ est ethic. polit. œconom. & pacti. 3. *Inutile & Utile*, quod est quadruplex. 1. Circa conservanda præsentia. 2. Circa adipiscenda futura bona & commoda. 3. Circa averruncanda præsentia mala. 4. Circa præcavenda futura mala & pericula. *III. Inhonestum, & honestum*, quod perpenditur juxta ornamenta, honores. *IV. Injucundum & jucundum*, quod delectationem causatur, tristitiam repellit, timorem excutit, securitatem inducit, tranquillam vitam reddit. *V. Difficile & facile*: cujus membra, favor assistens, auxilium præsens, inclinatio ad rem, exercitatio. *VI. Non necessarium & necessarium*: quod est penes Deum, consuetudinem & legem.

Argumenta generis judicialis (ubi accusamus vel defendimus) *sunt vel inartificialia, vel artificialia.*

Inartificialia sunt quinque: *Leges, testes, pacta, quæstiones seu tormenta, jusjurandum.*

Argumenta artificialia digeruntur in tres classes, prout tres sunt status, de quibus cap. sequenti.

Cap. 7. Genus locorum στατικὸν.

TErtium locorum genus diximus στατικὸν, *quod est proprium illarum quæstionum quas* στάσεις

vocant. Nam in omnibus cauſis tres ſunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus eſt, ſi plures non quæras, ad reſiſtendum. Nam ita conſiſtendum & reſiſtendum eſt, ut aut factum neges, quod objicitur: aut illud quod factum fateare, neges eam vim habere, atque id omne, quod adverſarius criminatur: aut ſi neq; de facto, neq; de facti appellatione ambigi poteſt, id quod arguere, neges tale eſſe, quale ille dicat, & rectum eſſe quod feceris, concedendúmve defendas. Atque etiam in deliberationib. & laudationibus iidem exiſtunt ſtatus, qui ſunt tanquam alveoli ſuperiorum rivulorum, qui ex fonte Ariſtotelico diffluunt, neque errare patiuntur Oratorem ad prælia diffluentem. *Sturm. d. l.*

Loci ſtatuum ſunt vel communes, vel proprii.

Communes omnium ſunt: Intentio, depulſio, ſtatium poſtulatio, communis locus, concluſio cum enumeratione & amplificatione omnium, quantitas exaggerata, & eadem comparata per exaggerationem.

Loci proprii ſingulorum ſtatuum, ſunt κεφάλαια ut vocantur ab Hermogene, *ſtatus conjecturalis, definitivi, & qualitatis.* Vocantur autem κεφάλαια: quia iſti ſtatuum loci ſunt præſtantiſſimi. Efficiunt enim ut litigantes inter ſe poſſint conſiſtere. Propterea vocarunt Græci hos locos κεφάλαια: quòd continerent caput totius cauſæ.

Primum

Primum κεφάλαιον vocatur στοχαστικὸν, secundum ὁρικὸν, tertium, ποιοτικόν.

Status conjecturalis (an factum sit nec ne) *tria sunt argumenta: 1. Voluntas*: ut, Quum naturâ à scelere isto abhorream, quî in animũ inducerem, ut parentem tollerem? *2. Facultas:* quò pertinent vires corporis, animi promtitudo, opes, locus, tempus: ut, Quomodo potui patrem interimere qui non fuerim Romæ? III. *Signa, quæ rem vel antecedunt, vel comitantur, vel cõsequuntur: Græci vocant* τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους: à quibus ducuntur argumenta, quę à JCtis vocantur præsumtiones. Ita cædem alicujus forsan antecesserunt minæ & instrumenta: conjuncta fuêre sanguis, clamor, pugna: consecuta sunt pallor, verba tertiata, cursatio, quæ fit rursum & prorsum, fuga.

In statu definitivo (An hoc vel illud factum, vel non) *definitio nostra probanda, adversarii refutanda*: ut, Si quis dicat, se collocutum esse cum hostibus, attamen non esse proditorem. Hîc seqq. sunt argumenta. 1. Intentio seu scopus. 2. Definitio. 3. Contraria definitio. 4. Mores & qualitas personæ.

In statu qualitatis (An jure factum sit nec ne) *sumuntur argumenta hæc: I. Translatio*, quę est judicis, aut judicii remotio. Fitq; quatuor modis: 1. à persona: cùm nõ is agit, quem oportet. 2. à loco, cùm alibi, non apud quos convenit, actio intenditur. 3. à tempore, ut si quem olim dicamus ac-

cusari potuisse, nunc non posse. 4. à re, cùm negatur agendum hâc lege, hâc pœnâ, ob hoc crimen. *II. Comparatio*, cùm ostendimus, è duobus alterum fuisse agendum, & id quod à nobis factum est, satius fuisse fieri. *III. Remotio*, cùm culpam rejicimus in aliam personam. *IV. Concessio*, quæ comprehendit purgationem & deprecationem. Purgatio est, quâ culpam conferimus in rem, quæ in judicium vocari non possit, ut in necessitatem, fortunam (quam vulgò vocant) seu imprudentiam. Deprecatio est cùm culpam fatemur, & ad misericordiam confugimus.

Cap. 8. Genus locorum περιεκτικὸν.

Quartum locorum genus est epicherematum quod continet septem rerum attributa, quæ περιστάσεις Græci vocant; propterea quòd ipsum statum circumstant veluti in procinctu, ut ipse status bono præsidio sit stipatus. Suntque: 1. factum sive negotium. 2. author facti & personæ. 3. locus. 4. tempus. 5. agendi modus. 6. instrumenta. 7. reliquæ facultates. Hi enim loci sunt, ut ait Sturmius, quibus quasi pro viatico utimur ex omnibus superioribus oratoris locis atq; cellulis depromti, tanquam ὑπόθεσις, id est, comparatu facilia quædam, ad confligendum, arma. Quod patrisamiliâs est pecunia quotidiana, hoc oratori istud quartum est genus locorum. Et

primi

primi Rhetores non agnoverunt aliud genus locorum, quàm hoc, septem videlicet circumstantias: & vocantur loci ἐπιχειρηματικοί.

Cap. 9. Praxis doctrinæ de generibus argumentorum.

TAlis est theoria inventionis argumentorum, cujus hæc est praxis.

Inventio argumentorum dividenda est in tres partes: quarum prima est ζήτησις *inquisitio: altera* συλλογὴ, *collectio*: tertia λῆψις, *delectus.*

Inquisitio autem rectè instituitur à postremo locorum genere, quod περιστατικὸν *appellant*: ut in Miloniana: Quid factum sit? nempe cædes. Cujus? Clodii. A quo? à Milone. Ubi? in viâ Appiâ. Quâ de causâ? Odio & invidiâ Milonis, ut accusatores dicebant: ut autem Cicero, ut vim vi depelleret, ut insidiis resisteret. Quomodo occîdit? Inermis armatum, stipatum militibus & servis barbaris: ipse in comitatu habens uxorem & pueros symphoniacos: Clodiani in equis: Milo in rheda.

Deinde ad statuum locos, postea quam hi diligenter perlustrati erunt, transeundum est.

Non licet hominem occidere: licet insidiatorem & latronem occidere. Quæ argumenta repulsionis sunt & qualitatis assumtivæ.

Sed in inquirendo, non solùm colligere debemus, quib. uti volumus, sed etiam quibus uti non placet.

Tandem delectus argumentorum habendus.

Cap. 10. De Exordio.

EXpoſita eſt *Inventio*, primum medium, quod ſa-cit ad perſpicuè docendum: exponenda nunc venit *Diſpoſitio*, medium alterum perſpicuè docendi.

Diſpoſitio eſt, per quam omnia in ordinem redi-guntur, ſecundùm ſex orationis partes, ut ſunt, *Exordium*, *Narratio*, *Propoſitio*, *Confirmatio*, *Confutatio*, *Peroratio*: quarum tractatio eſt generalis, & ſpecialis.

Tractatio generalis eſt, quâ præcepta de iis tra-duntur extra certum genus conſideratis.

Eſtq; duplex: una artis, quâ præfictum ordinem partium obſervamus: altera judicii, qua ad cir-cumſtantias accommodatur.

Exordium eſt prima pars orationis, quâ præpa-ratur animus auditoris ad audiendum: ideoq; re-fertur ad motum.

Eſtq; obliquum, vel directum.

Obliquum eſt, quod ducitur à circumſtantiis loco, & tempore, vel ſententiâ aliquâ, ſeu dicto: di-citur peregrinum.

Exordium directum eſt, quo in animo audito-ris comparamus benevolentiam, docilitatem, at-tentionem: idq; vel apertè, vel per inſinuatio-nem.

Beni-

Benevolentia captatur à perſonis, noſtrâ, auditorum, adverſariorum.

A noſtrâ perſonâ captamus benevolentiam duobus modis: 1. Commendatione ſtudii, officii noſtri, ſine arrogantiâ. 2. Extenuatione virium noſtrarum, ſine faſtidio.

Ab auditorum perſona, ſi laudemus ipſorum virtutes, ſine adulatione.

Ab adverſariis, ſi oſtendamus eorum vitia. Debemus autem adverſarios adducere 1. in odium, oſtendendo illorum malitiam, perfidiam, crudelitatem. 2. In invidiam, commemorando eorum arrogantiam. 3. In contemtum, detegendo ipſorum vanitatem, inſcitiam, luxuriam. In quibus omnibus vitanda eſt amarulentia.

Attentio comparatur per res, duob. modis: 1. Pollicitatione, cùm promittis te dicturum de rebus magnis, neceſſariis, ad ipſos auditores pertinentibus. 2. *Petitione,* cùm efflagitas, ut benignè velint audire.

Docilitas comparatur per modum dicendi: quem brevem & methodicum fore promittes.

Canones.

I. Exordium non eſt eſſentialis pars orationis. Itaq; quandoq; omittitur in his caſibus: 1. Si ex tempore dicendum. 2. Si coram magnis viris dicendum. 3. Si ratio temporis id poſtulet. Exordio enim non utimur, ſi verſemur in anguſtiâ temporis.

II. Exordium erit attemperatum ipsi tractationi: ne caput sit longius corpore.

III. Exordia sint mediocria in causa mediocri: humilia in humili: pomposa in excellenti.

IV. Exordia gnomis potiùs quàm verbis exornentur.

V. Exordia non sint affectata. Turpiculum enim juxtà & ridiculum est, si exordium redoleat artificium oratorium plus quàm tota oratio. Natura enim subitò se totam non profundit.

VI. In exordiis usurpentur phrases & verba consueta.

VII. Exordium non componatur primò, sed ultimò, & petatur è visceribus orationis.

Cap. II. De Narratione.

NArratio est secunda pars orationis, quâ ponuntur fundamenta & quasi sedes constituendæ confirmationis: ideoq; refertur ad fidem.

Ejus considerantur partes & virtutes.

Partes narrationis tres sunt: 1. Explicatio causarum, quæ nos moverunt ad dicendum. 2. Explicatio causarum, quæ nos moverunt ad sic dicendum & de tali materiâ. 3. Explicatio eorum, quæ affinitatem habent cum nostro themate.

Virtutes ejus tres sunt: Claritas, verisimilitas, jucunditas. Narratio igitur sit dilucida, probabilis & suavis.

Dilucida

Dilucidam efficies, si omnia exponas verbis propriis, significantibus & usitatis, siq; locutionem distinguas rebus, personis, actionibus.

Probabilem reddes narrationem, si ostendas eam congruere cum hominum opinione, authoritate, lege, more, religione: item cum circumstantiis personarum, locorum, temporum.

Suavem efficies narrationem, si afferas delectationem. Delectationem verò narrando afferes, si res exponas vel magnas, quæ habent admirationem & inopinatos exitus; vel parvas, quæ sunt ridiculæ quidem, sed jucundæ ad recordandum: Si denique hominum consilia, personarum colloquia, animorum motus, dolores, lætitias, iracundias, cupiditates & similia exprimas.

Cap. 12. De Propositione.

PRopositio est pars orationis, quâ auditori breviter aperimus quid in oratione expectare & attendere debeat ad sui ædificationem.

Hæc dicitur orationis caput, status, scopus & regina.

Hanc igitur qui omittit est similis pictori, qui truncum corporis humani, præterito capite, effingit.

Estq; vel dogmatica, vel textualis.

Dogmatica est, quando thema tractamus per genesin.

Textualis, quando thema ab alio tractatum re-cognoſcimus per analyſin.

Canones.

I. Propoſitio eſt orationis janua & aditus.

II. Propoſitio ipſam quæſtionem vel ſpeciatim indicat, vel præterea dividit.

III. Propoſitio breviſſimis, iisque perſpicuis verbis debet concipi.

IV. Propoſitio per partes, ſi partes habeat, est exponenda: & tum dicitur partitio.

Cap. 13. De Confirmatione & Confutatione.

CONfirmatio eſt, quâ noſtræ propoſitioni fidem facimus.

Confutatio, quâ cum adverſario contendimus.

In utraque maximum momentum habet recta argumentorum collocatio, itemque amplificatio.

Cap. 14. De Epilogo.

EPilogus eſt orationis concluſio, atque illius quaſi quidam portus & finis. Et ingenium oratoris noſcitur in claudendi artificio.

Epilogi conſiderabimus tum finem, tum media ad finem.

Finis epilogi eſt inſervire & memoriæ & affectibus auditorum, ut illi quæ in oratione tractata ſunt memo-

memoriæ mandent, & animis complectantur avidissimis: ideoq; epilogus refertur ad motum.

Ad hunc finem consequendum duæ partes ceu faces adhibendæ sunt: 1. Repetitio, cùm propositionis, tum argumentorum, capitumque præcipuorum, quorum maximè meminisse volumus auditores. *2. Concitatio affectuum*, quâ aculeos relinquimus in animis auditorum.

Canones.

I. Insigne aliquod atque eminens, quod antea in oratione non fuit auditum, ad epilogum reservetur.

II. Dicendi genere graviori, interrogationum & exclamationum figuris constante, utere.

III. Motus accedat alacrior & vehementior, quàm in reliquo orationis cursu.

IV. Summa: Res graves, verba pathetica, affectus vehementes afferantur in Epilogo.

Cap. 15. De Tractatione speciali partium orationis.

EXposita est tractatio partium generalis, sequitur specialis, qua in aliis atque aliis dicendi generibus partes illæ nonnihil immutantur. Itaque

I. In genere demonstrativo

I. Laudaturi personam, utemur

1 Exordio ducto ab affectu, ut querelâ, gratulatione, & similibus.

2 Narratione aut nullâ, aut perbrevi.

3 Propositione ut plurimùm multiplici, seu divisione.

4 Confirmatione è locis propriis.

5 Confutatione: quæ hîc non requiritur, nisi cùm aliquid dubii incidit, quod aut defendendum, aut excusandum, aut deplorandum: ut laudaturus Davidem, adulterium cæde cumulatum deplorabit.

6 Peroratione tali, ut primùm instituatur ἀνακεφαλαίωσις, tùm incitentur auditores vel ad imitationem, vel gratulationem in lætis, in tristibus verò miserationem.

II. Laudaturi factum, utemur

1 Exordio ducto à commodis, quæ è propositâ materiâ redibunt ad auditores: ut si quis Scævolæ factum laudaturus esset, qui Romam obsidione Porsennæ liberavit, sic exordiri posset: Non dubium est, Quirites, memoriam Scævolæ nobis magnæ esse voluptati, qui Rempubl. tot commodis unico facto auxit.

2 Narratione brevi, quâ factum commemoremus, si auditoribus historia ejus non satis constat, alioquin eâ non opus.

3 Propositione per comparationem: ut, Inter ea quæ præclarè gessit C. Cæsar, non aliud factum laudabilius, quàm restitutio Marcelli.

4 Con-

4 Confirmatione è propriis locis ſuprà dictis.

5 Confutatione ratò. Nam confutatio non ſæpè cadit in laudes.

6 Peroratione, in qua inſignia aliquot ejus facinoris commoda colligantur.

III. Laudaturi rem, utemur

1 Exordio ducto à laude rei.

2 Propoſitione. Nulla enim in hoc genere eſt narratio. Sæpe etiam exordium omittitur; quia exordimur ab ipsâ propoſitione: ut laudaturus hiſtoriam hoc modo exorditi poſſes: Nulli ſcriptores meliùs de rebus humanis meriti ſunt, quàm ii, quorum ſtudio res geſtæ ſuperiorum ſeculorum memoriæ proditæ ſunt.

3 Confirmatione è locis propriis.

4 Confutatione, ut eſt artis & moris.

5 Peroratione ſolitâ.

II. In genere deliberativo utemur

1 Exordio maximè ducto à perſonæ officio, ne quis putet conſuli privato affectu in rem noſtram: aut à neceſſitate, vel utilitate rei, à periculi magnitudine, &c.

2 Narratione ratò.

3 Propoſitione cum amplificatione; ut ſuaſurus pacem, illius laudem immiſcebit tribus verbis: v. g. de pace, humanæ ſocietatis conſervatrice, conſilium daturus prodii.

4. 5 Confirmatione & Confutatione è locis propriis.

6 Peroratione, ut eſt artis.

III. In genere judiciali utemur

1 Exordio ducto vel à noſtro officio, vel ab ejus, pro quo dicimus, commiſeratione, vel ab adverſario, qui periculum innocenti faceſſat invidiâ, vel à judicis perſonâ. Attentio magnitudinem cauſæ commemorat.

2 Narratione, quæ rem geſtam exponit.

3 Propoſitione, quæ hîc dicitur ſtatus.

4. 5. Confirmatione & Confutatione ſolitis.

6 Peroratione, quæ conſtabit repetitione propoſitionis principalis, & potiſſimorum argumentorum, itemq; affectuum commotione, quibus judex inflammetur ad miſericordiam.

Cap. 16. De Elocutione ſive Exornatione.

TRadita ſunt media perſpicuè docendi: ſequitur medium ritè delectandi, quod dicitur Elocutio ſeu Exornatio.

Exornatio dicitur medium ritè delectandi, quod non ita intelligas velim, quaſi etiam non faciat ad flectendum: multùm enim facit ad flectendum: ſed quia exornatio primò facit ad delectationem, quam ſequitur motus, ideo ab iſto primo fit denominatio.

Elocutio

Elocutio est, quâ res orationis apto sermonis genere, quasi vestitæ, *proferuntur.*

Hac in re multum situm est. Nec enim satis est ad institutæ orationis finem consequendum, res veras atq; utiles invenisse, inventas bene disposuisse: sed requiritur insuper ornatus & cultus, ut res apto sermonis genere proferamus. Ita oratio merebitur gratiam.

Elocutio perfecta quatuor complectitur dicendi modos, ut Crassus apud Ciceronem docet: quorum unus est puritatis; alter perspicuitatis: tertius ornatus: quartus decori. Sturm. l. 2. de imit. cap. 4. 5. 6 7. 8.

Alii Rhetores exornationis tres faciunt partes, videl. elegantiam, compositionem, & dignitatem. Elegantia est Grammaticorum propria: Compositio Grammaticorũ, quoad structuram orationis & periodos, Rhetorum quoad numerum oratorium: Dignitas Rhetorum. Hîc itaq; Orator tradit applicationem instrumentorum Grammaticorum & Rhetoricorum, sicuti suprà tradidit applicationem instrumentorum Logicorum.

Primus dicendi modus est puritatis, quo fit, ut non solùm Latinè dicamus, sed etiam bene Latinè.

Puritas apud Græcos dicitur ἑλληνισμὸς, apud Romanos vocatur Latinitas.

Puritas consistit in delectu verborum.

Debemus verba deligere, quæ Latina ſunt, rejicere barbara. Barbara vocamus ea, primùm quæ ſunt ἐθνικὰ, aliarum gentium, & populorum. Deinde barbara ſunt, quæ in lingua noſtra corrupta ſunt. Pura ſunt, quæ ſunt Romana, cujusmodi ſunt verba & nomina apud Ciceronem inprimis, deinde apud Cæſarem: apud Plinium, apud Corn. Celſum in re medica, apud Varronem in re ruſtica, etiã multa apud Columellam, tametſi ſit corruptior.

In his enim ſcriptoribus non errari poteſt: omnia ſunt quotidiana, pura, propriè ſignificantia. Puritas eſt etiam extruenda ex Plauto, et Catone de re ruſticâ, ſed ibi oportet judicium adhibere, ut vitemus quæ ſunt antiquata, quæq; ſunt commutata cum melioribus temporibus, Craſſi, Antonii, &c.

Secundus modus eſt perſpicuitatis: quæ virtus apud Hermogenẽ vocatur δεινότης & σαφήνεια, efficiens non ſolùm σύνεσιν, *intelligentiam*, ſed etiam adferens κρίσιν, *judicium*, ut judicare poſſis propriè & diſtinctè.

Oportet autem in perſpicuitate verba eſſe uſitata, τῆς χρείας τῆς ἡμετέρας, noſtri uſus & conſuetudinis. Quemadmodum enim pane utimur populari: ita debemus etiam uti oratione populari, conſuetudine ſcil. Romanæ civitatis.

Tertius modus eſt ornatus, qui conſiſtit in verborum & ſententiarum luminibus atq; coloribus.

Lumina

Lumina illa sunt tum tropi, tum figuræ.

De tropis hic est canon: Tropi non sunt adhibendi, nisi necessitatis, suavitatis, & motus gratiâ.

Necessitas est, quando non est in promtu vocabulum proprium.

Suavitas est, quando verbum conversum sive tropicum est illustrius proprio.

Motus est, quando tropus habet quandam quasi majestatem: qualis persæpe est hyperbole ritè adhibita.

Figuræ sunt partim dictionis, partim sententiæ: quas vide in *Rhetorica Talæi.*

De figuris dictionis hi sunt canones:

1 *Epizeuxis* in oratione adhibenda, quando ratione emphaseos, itemq; affectus, aliquid signanter inculcandum.

2 *Anadiplosis* in vehementi animorum motu locum habet: quia vulnerat adversarium, non secus atq; is, qui non diversas, sed eandem corporis partem sæpiùs pungit.

3 *Climax* habet locum in concinnitate & suavitate, quę hîc est insignis: item cùm multæ causę efficientes ordine sunt commemorandæ.

4 *Anaphora* adhibenda in enumerationibus bene longis, in exaggeratione, item & amplificatione.

5 *Epistrophe* locum habet in affectanda concinnitate: idq; sæpiùs in mediocri genere dicendi, quàm humili aut grandi, ut ne nimia diligentia fidem orationis tollat.

6 *Symploce* festivitatem & elegantiam nimis luminosam habet. Quocirca in causis gravioribus rarò usurpanda.

7 *Epanalepsis* in Narrationibus & Confirmationibus adhiberi debet: quando nimirum sententiæ sunt amplificandæ, ut iterum atque iterum auditæ altiùs auditorum mentibus infigantur.

8 *Epanodos* adhibenda in distinguendo & argumentando: prudenter tamen, ne πανδολεχία crimen admittatur.

9 *Paronomasia* in elegantia, jocis & circumventionibus, quales circa Logicam homonymiæ fallaciam contingunt, locum eleganter invenit.

10 *Polyptoton* adhiberi potest in oratione suavi, gravi, & perspicuâ.

Oportet autem observare numerum oratorium in his figuris.

Figuræ sententiæ hos habent canones:

1 *Exclamatio* adhibebitur, quando ciendæ sunt admirationes, desperationes, exhortationes, consimilesq; affectus: nec tamen in quibuslibet orationis partibus, sed demum post narrationem & confirmationem, in amplificationibus scilicet & peroratione, nec etiam sæpe. Stulti enim hominis foret dentifrangibularii vel circumforanei ad instar exclamare, nec minùs ridiculi, rem, antequam probata fuerit, amplificare.

2 *Licen-*

2 *Licentia* adhibebitur, quando monendus & reprehendendus est auditor, aliquanto acriùs: quanquam hîc opera danda, ut modicè hoc & prudenter fiat. Fit autem mitigatione quadam, quæ instituitur, vel laude, cùm antè laudamus eos, quos verbis castigare volumus, ut ad *Quint. Fratr.* vel querelâ, vel communione, cùm peccati nos socios facimus: vel personæ commutatione, cùm alios id sentire ostendimus, vel loci communis tractatione, ut non de homine vitioso, sed ipso vitio dicamus.

3 *Correctio* adhibebitur in jocis & facetiis, itemque rebus seriis, cùm attentos reddere auditores, & rem ipsam amplificare cupimus. Siquidem hæc ipsa correctio tacitam vim comparationis habet.

4 *Aposiopesis* adhibenda 1. in rebus turpibus, quas verecundè non licet dicere. 2. in materia tristi, ne dolor animi recrudescat. 3. in rebus notis aut etiam parvis. 4. in amplificationibus & exaggerationibus: quoniam major suspicio animum subit plus in causa latére, si nihil dicatur.

5 *Apostrophe* adhibetur, cùm quæ nonnullis dicta volumus, aliis tamen dicimus: quale illud Demosthenis in Philippicis, qui, quibus verbis Athenienses maximè monere volebat, ea se apud Arcadas invidiosè concionatum dicebat.

6 *Prosopopœïa* schema difficile est tractatu, & magnas eloquentiæ vires requirit: ideoque non temerè ad ejus tractationem veniendum, & exempla in Cicerone notanda sunt, quo is & modo & tempore utatur.

7 *Addubitatio* locum habet 1. in amplificatione, quia magnum id esse putatur, de quo ipse orator dubitat, quo nomine appellandum sit. 2. in probando, quoniam non ficta videtur afferri oratio & ratio. 3. in Exordiis.

8 *Communicatio* locum habet, cùm videri volumus fiduciâ bonæ causæ niti, & extorquere tacitam alterius confessionem.

9 *Occupatio* in Exordiis, Confirmatione & Refutatione, in consiliis & judiciis locum habet.

10 *Concessio* in refutatione locum habet.

Superest quartus dicendi modus, videl. decori, quod consistit in circumstantiarum notatione.

Cap. 17. De Pronuntiatione.

Sequuntur media alacriter flectendi, Actio & Memoria.

Actio est pronuntiatio & gesticulatio.

Pronuntiatio est apta vocis pro rerum affectuum q; varietate conformatio.

Ea comparatur tribus: Naturâ, Arte, Exercitatione.

Natura

Natura confert linguam, & reliqua organa pronuntiationis, videlicet guttur, palatum, dentes, & labia.

Ars suggerit hos canones: 1. Vox non sit affectata: sed naturalis & gravis. Nam orator non debet ὑποκρίνεσθαι, id est, scenico more agere, sed ἀγωνίζεσθαι, contendere seriò. 2. Metus & trepidatio absit. 3. Soni magnitudinem pro amplitudine loci decet moderari. 4. Debemus loqui planè, articulatè, non turbidè. 5. Vocis suavitatem comparamus, si loquamur voce quodammodo tremente & querulâ. 6. Claritatem vocis comparamus quatuor adminiculis: 1. In exordio sedatâ utamur oratione. Nam læduntur arteriæ, si clamore exasperentur, priusquam leni fuerint voce permulsæ. Et quid magis agreste, quàm incipere cum clamore?

2 Vox recreetur respiratione, ut arteriæ reticendo quiescant. Et verò incivile est, non relinquere auditori spatium cogitandi.

3 Vox pro rerum, sententiarum & affectuum varietate aptè varietur. Variatur autem tribus modis: *1. contentione & remissione*; ibi est vox acuta seu canora, hîc gravis seu remissa. 2. *tempore*, unde vox æstimatur spatio temporis, ut sit cita, vel tarda. *3. viribus*, unde est vox magna & parva, Græci vocant μεγαλοφωνίαν & ἰσχνοφωνίαν.

4 Vitandæ sunt exclamationes acutæ, quibus

vulneratur vox dicentis, & aures læduntur audi-toris. Neque quicquam magis illiberale quàm vociferatio.

7 In exordio debemus uti voce mediocri: in narratione, apertiori: acriori in confirmatione. In Epilogo deniq; vox debet esse excitatissima, in-tensissima, ita ut uno spiritu multa dicantur.

8 Si velis auditores flectere ad misericordiam, utere voce flexâ: Si ad iram, intensâ & concitatâ. Si ad lætitiam, plenâ & jucundâ: Si ad tristitiam, tremulâ & querulâ.

9 Grandia sunt recitanda cum majestate quadam: atrocia concitatè: lęta cum alacritate: tristia flebiliter: mediocria temperatè. Vox cita facit omnia brevia, *evasit, erupit, excessit.* Huic con-traria est vox tarda, ut in illo: *Etsi vereor judices.*

10 Observa quę vox propria sit admirantibus, interrogantibus, indignantibus, irridentibus, & alio quovis motu affectis.

Exercitatio vocis est vel Demosthenica, vel Medica, vel Academica.

Demosthenica est, quæ Demosthenem habet au-thorem. Ejus duæ sunt regulæ.

1 Tophi subter linguam ponantur, & difficil-limæ quæq; dictiones pronuntientur, ut lingua fiat volubilis.

2 In littore, ubi est maximus strepitus aqua-rum, multę orationes recitentur. Hoc enim facit, ut audaces evadamus.

Medica

Medica est, quæ curat linguæ & oris vitia certis consiliis & remediis.

In consiliis sunt, echo vel in sylva, vel in templo, vox clamosa in loco subterraneo vel foramine quodam.

In remediis sunt 1. Diæta & temperantia. 2. Specifica quædam, quæ asperam arteriam purgant.

Academica est, quâ fit, ut prodeamus in publicum, ubi sic perorare debemus, 1. ac si soli simus. 2. ac si nos omnium doctissimi simus. 3. Quicquid legimus, cum murmure legamus. 4. Non continuè, sed ex intervallo dicamus. Nam usus continuus ingenium obtundit.

Cap. 18. De Gesticulatione.

Gesticulatio est quædam quasi corporis eloquentia, ut ait Cicero.

Canones.

1 Si res fuerint lætæ, vultum induemus hilarem: si tristes, tristitiam nostram vultu testabimur.

2 Capite utemur recto, non obstipo.

3 Capite non erimus immobili, nec semper mobili.

4 Mentis clementia, & animus defæcatus ſignificatur fronte exporrectâ & diffusâ. Itemque ſupercilio compoſito & remiſſo.

5 Status corporis ſit erectus, excelſus, non incurvus, non vacillans, non dejectus.

6 Caput ſecundùm naturam eſſe debet.

7 Cervix ſit erecta, non ſupina, non rigida. Supina enim ruſticitatem, rigida ſuperbiam habet.

8 Humeri ſint ſtati, ac quieti: non alleventur non contrahantur nimis.

9 Manus diligentiſſimè ſunt regendæ. Sint igitur compoſitæ & compreſſæ in exordiis: cùm aliquid ſerium dicitur, extendantur. Siniſtra vero nunquam ſola geſtum faciat, ſed dextræ ſubſerviat.

Cap. 19. De memoria Oratoris.

ACtionis concinnitatem & libertatem imprimis impedit lectio: ideo prima cura ſit, orationem fideliter memoriæ imprimere, ut in publico tibi fidere poſſis.

Ea de re ſunt canones, quà generales, quà ſpeciales.

Canones generales ſunt, qui obſervandi ſunt tam in noſtra, quàm in aliena oratione ediſcenda.

1 Orationem diſtingue in partes: & per intervalla

valla ediſce: ut hodie Exordium, cras Narrationem, & ita deinceps.

2 Conſtitue thema orationis, quod reduces ad certam aliquam diſciplinam, vel ad aliquod prædicamentum.

3 Argumenta obſerva, eorumque tres claſſes conſtitue: prima ſit explicantium, ſecunda probantium, tertia amplificantium.

4 Primò imprime res, deinde verba.

5 Tempore matutino & veſpertino memoriam exerce.

6 Quære locum ſolitarium: duas ob cauſas: 1. ne objecta memoriam impediant. 2. ut recitatio inſtitui poſſit clarâ voce.

Canones ſpeciales ſunt de ediſcendâ oratione, vel noſtrâ, vel alienâ.

De ediſcendâ noſtrâ oratione ſunt canones.

1 Quæ velis memoriâ tenere, ea ſcribas, niſi tibi neceſſitas imponat legem ex tempore dicendi.

2 Si memoria ſuffragetur, nec tempus deſit, conduxerit ad verbum planè ediſcere, neq; ſolam rerum vim complecti & ordinem.

3 Domi elaboremus orationem juxta præcepta tradita: ubi debemus discernere thema ſimplex à compoſito, & hoc tractare ſecundùm tria cauſarum genera: Hìc autem, noſtro judicio, utile fuerit, ſi orationes componas, vel *veras*, quas recites coram aliis; vel *repraſentativas* ſub-

inde, quas dirigas ad Cæsarem, Regem aliquem, Doctorem aliquem, & induas personam legati, oratoris; exempli gratiâ de præsenti statu Juliacensi, conscribas orationes hoc modo: 1. Cæsaris ad principes, & principũ ad Cæsarem. 2. Principum ad subditos.

4 Oratio ita elaborata clarè legatur.

5 Periculum subinde faciendum est, tenemúsne & an satis firmiter conceperimus.

6 Decem orationes paradigmaticas juxta decem species causarũ de verbo ad verbum edisce & publicè recita. Quod si deinceps tibi sit peroorandum, debes quidem scribere orationem, sed non edisces verbotenus. Satis est dispositionem excerpere tabellarem, quam sexies vel septies perleges.

7 Initiò forma orationes parvas. Si enim parva primùm & quæ tædium non afferunt, cœperis edisscere, excitabis memoriæ vim, & comparabis tibi in parvis habitum, per quem etiam prolixas & bene longas orationes parvo tempore possis memoriâ comprehendere. Itaque prima oratio quinque, secunda sex, tertia 7, quarta 8, quinta 9 constet paginis, & sic deinceps.

8 Antequam prodeas in publicum, da operam locum priùs lustres, & ex eo orationem semel atque iterum recites, ut vocem temperes pro loci angustiâ vel amplitudine.

9 Memoriter peroraturus nuntium remitte duobus

duobus illis affectibus, timori & iræ. *Junius de arte dicendi.* Nam nō facilè ediſcunt aliquid ii, qui in mœrore ac triſtitia ſunt conſtituti, aut negotiis multis diſtricti tenentur: aut nimis ſunt verecūdi, ac metuunt, ne auditorum judicio atq; expectationi ſatisfaciant. Tollitur autem iſte metus trib. modis: 1. Spe & fiduciâ præclarâ de auditorum humanitate & candore cōcepta. 2. Exercitatione & aſſuetudine. Unde utile cumprimis & neceſſarium eſt, ut à pueris futuri oratores coram aliis loqui, & in publico recitare orationes diſcant. 3. Confabulatione cum aliis antequam ingrediamur auditorium.

De ediſcendis alienis orationibus hi ſunt canones.

1 Aliorum orationes ediſcimus, non ut publicitus recitemus, ſed ut artificium pervideamus.

2 Tres, vel ad ſummum 4. tantùm orationes Ciceronis memoriæ imprime.

3 Aliorum orationes dum legis, tria tantùm memoriæ imprime: 1. Elegantes formulas: Exordii, Narrationis, &c. 2. Argumenta explicantia, probātia, amplificātia. 3. Dicta, ſimilia, exempla.

Cap 20. Gymnaſium Methodi eloquentiæ.

TRadita eſt methodus eloquentiæ in præcognitis & ſyſtemate: ſequitur Gymnaſium de exercitatione.

Exercitationis hujus ſex ſunt partes & tempora: Cognitio, Lectio, Commentatio, Scriptio ſeu ſtilus, Declamatio, Actio. Sturmius hinc inde in tribus libris de Imitatione.

I. Cognitio eſt ipſa διδασκαλία, ἡ μάθησις, γνῶσις τῆς τέχνης, id eſt, *doctrina & diſciplina præceptorum.*

Eſtq; duplex: una propria oratoris, videl. cognitio præceptorum Rhetoricorum, *γνῶσις τῆς ῥητορικῆς: altera communis omnium doctorum, γνῶσις φιλοσοφίας*, cognitio artium, cognitio hiſtoricorum, cognitio poëtarum. Et hæc cognitio eſt honoraria. Facit enim oratorem præclarum atque honorificum, ſi ipſius oratio videatur fluere et manare ex fontibus ipſius Philoſophiæ. In prima illa *τῆς ῥητορικῆς γνώσεως* quatuor ſunt obſervanda. 1. Electio magiſtri, à quo; & libri, è quo diſcas. 2. Intelligentia præceptorum. 3. Memoria, ut non ſit opus ſemper recurrere ad librum. 4. *Ἐμμονὴ, conſtantia:* ut qui liber tibi ſemel placuit, non ampliùs displiceat. Eſt enim ter diſcere, libros commutare. Ætas noſtra per ſe brevis eſt. Satis eſt unam rem ſemel didiciſſe: una Grammatica ſatis: una Dialectica: una Rhetorica ſatis. Unam rem ſemel didiciſſe, illius iterum oblivisci, alias definitiones diſcere, eſt vitam per ſe brevem, breviorem reddere.

II. Lectio eſt, quâ bonos evolvimus authores.

Hæc eſt pars *γνώσεως*. Nam *γνῶσις* eſt vel *χρεια*-

χρεαμμαπκὴ, vel ἀναγνωστικὴ, id est, *cognitionis duplex est ratio, via & modus. Unus est audiendi,* & hanc consuetudinem retinuerunt veteres oratores; ita Demosthenes Platonem, Cicero oratores Athenienses, Ciceronis filius Cratippum audivit. *Alter est legendi.*

Lectionis partitio est triplex: una à triplici fine, altera à personis, tertia à duplici fine.

Omnis autem lectionis tripartitus est finis: unus verborum atq; Latini sermonis: alter rerum, quarum scientiam orator debet tenere: tertius tractationis. Quid enim? Quare legimus? Aliquando legimus, ut comparemus nobis copiam verborum Latinorum: aliquando, ut adipiscamur cognitionem rerum: aliquando, ut exempla exordiorum, narrationum, argumentationum, amplificationũ notemus. Primus igitur finis est λέξεων; alter μαθήσεων, τεχνῶν; tertius est ἐργασία, tractatio, quæ scilicet fit oratione, qui finis est ὁ λόγος, & finis λογικὸς, τῶν παραδειγμάτων, *Sturmius d.l.* Ratione triplicis istius finis Oratoriæ candidatus instructus erit à triplici volumine. *Primo fini* comparatum erit volumen λεξικὸν, in quo erunt formulæ tum verborum, ut *damnum, detrimentum, malum, noxa*: tum formularum, ut, *jacturam facere, damnum dare, malum dare.* Sed hæc verba & hæ formulæ redigi debent in ordinem naturæ & artis.

Alter finis est cognitio rerum: legere authores, ad comparandam rerum cognitionem, & omnium Philosophiæ partium. Lege itaq; Plinium ad cognoscendam doctrinam rerum naturalium: Vegetium ad intelligendam rem militarem: Varronem & Columellam ad cognoscendam agriculturam. Et hæc cognitio etiam requirit peculiare volumen.

Tertius finis est λογογραφικὸς, qui propositum habet exempla vel politica, vel oratoria, vel historica: puta Exordiorum, Narrationum, Amplificationum, Argumentationum, Digressionum, Locorum communium, Periodorum, Sententiarum.

Hæc prima est lectionis partitio: secunda autem personis. Vel enim nos legimus, vel alios legentes audimus. Utrumq; fecit Cicero, Crassus & Antonius. Et ipsi legebant, & ipsi legendo fatigati adhibebant recitatores, quos ipsi nominabant Anagnostas, qui eis recitabāt in prandiis, & cœnis, & umbris, & ambulationibus: antequam cubiti irent: post somnum, antequam cubitu surgerent. Recitantium verò, τῶν ἀναγνωστῶν, duo erant genera. Aliquando enim adhibebant adolescentes qui voce clarâ erant præditi. Adhibebant autem illos, vel fatigatis oculis, vel in scriptis ita facilibus, ut attentione acerrimâ non esset opus. Aliquando autem adhibebant eruditos, scil. in reconditis literis: qui interrogati poterant res implicitas

plicitas explicare, nodosas enodare, obscuras illustrare. Atq; hac eadem ἀντιπαρακάλεσις, *compensatione*, oportet & nos uti: Et hanc compensationē oportet facere συζητήσει, oportet facere socios studiorum, lectionum. Oportet quasi facere societates inter ternos, quaternos, senos, denos, eosq; ὁμογνώμονας, id est, *ejusdem voluntatis*, ut idem velint: item ὁμομαθεῖς, *qui eandem rem didicerint*. Hi tales ὁμήλικες, ut Græci loquuntur, *studiorum socii*, iisdem studiis devoti & dediti, inter se distribuant materias, & recitent in prandiis, cœnis, ambulationibus, sermonibus, mutatis, ut dicitur, operis, propter oculorum refectionem & animorum relaxationem. Diximus, quòd hîc necessaria sit ὁμογνωμία, itemq; ὁμομάθεια. Nam τὸ ἰσοδίδακτον, *ut æqualiter sint docti*, non est necessarium. Imò utile est, esse inæqualitatem. Hæc συζήτησις est necessaria. Non enim omnia per nos possumus efficere. Est utilis. Nam cumulus doctrinæ fit major, qui à pluribus congeritur. Est deniq; suavis. Nam reficiūtur animi, & relaxatur animus consuetudine legentium, & recitantium.

Præter hanc bipartitam viam, quarum una distinctos tres fines habet: altera distributas legendi atq; recitandi operas: est etiam tertia proponenda, quæ duas in partes secta est: quarum altera est intelligentiæ, altera custodiæ.

Prima virtus à Græcis dicitur νόησις. Ea est primaria in tribus istis, quæ antea præcepimus: in

verborum digestione: in rerum consignatione: in artificii observatione.

Intelligentia verò acquiritur, vel nostra apte cogitatione & commentatione, vel inquisitione librorum, vel interrogatione doctiorum.

Custodia, Græcè φυλακὴ, duas habet partes, quæ sunt ἡ μνήμη καὶ γραφὴ, memoria & scriptura.

Memoria est duplex, vel totius orationis, integræ narrationis, plenæ argumentationis: vel summæ & universæ rei, quæ generatim mente concipitur.

Scriptura est quasi penuaria memoriæ cella.

Fructuosissimum enim est, omnia quæ audieris, legeris, quæ fieris, didiceris, cogitaris, librorum custodiis concredere, & ad hos tres fines, de quibus diximus, digerere. Ut enim tres fines (ait *Sturmius*, ille Germanorum Cicero) ita scriptorum tria extant volumina, Crassi, Ciceronis, Antonii: unum verborum & formularum: alterum rerum atq; doctrinarum: tertium exemplorum, non in oratoribus solùm, verùm etiam in poëtis, in historicis, in dialogorum sive sermonum confectionibus.

Tertia exercitationis pars est commentatio seu inventio, quæ ut *Xenophon* loquitur, est ἔννοια, seu μελέτη *totius futuri operis oratorii.* Oportet enim priùs ἔννοιαν ποιεῖσθαι, & cogitationem ad causam applicare, antequam vel stilum in manus sumamus, vel ad declamationes, vel agendas causas accedamus.

Hujus

Hujus partis munus est, omne Oratoris officium percurrere quinquepartitum, Inventionis, Collocationis, Ornatus, Pronunciationis, Memoriæ. De quinque istis partibus fusè egimus in Systemate. Hîc duntaxat notetur, quòd nihil tam inimicum sit eloquentiæ, quàm negligentia. Diligenter igitur quinque ista oratoris officia, ex quibus prima tria necessaria, postrema non semper esse diximus, oportet perlustrare.

Quarta exercitationis pars est stilus sive scriptio. Stilum Cicero & artificem, & opificem & effectorem, & magistrum, & perfectorem dicendi nominat. Eadem est stili via, quæ est commentationis. Quæcunq; igitur præcepta sunt de commentatione, ea etiam referenda sunt ad scriptionem.

De ratione stili tria sunt præcipienda.

I. Consideratio, electio & deliberatio temporis, quæ tribus rebus æstimatur. Primùm naturâ temporis. Natura autem idoneum tempus ad scribendum multis largitur auroram. *Altera ab ingenio scriptoris.* Sunt enim aliquæ naturæ, quæ esurientes meliùs officium ejusmodi faciunt, quàm saturatæ: sunt, qui vigilias sustinere possunt usque ad gallicinium. *Tertia est negotiorum necessitatis:* ut possumus, inquit ille, quando, ut volumus non licet. Et propterea sæpe decurrendum est ad successivas (alii vocant succisivas) horas, & tempus sæpe in negotiis suffurandũ est.

Sic igitur de tempore ſcriptori eſt cogitandum quando ſcribere velit.

II. Electio materiæ. Cogitandum erit, quæ velimus in manus ſumere cauſam, quam controverſiam, quam quæſtionem. Inſuper cogitandum, num velimus opus aliquod proprio marte contexere, num Græca vertere Latinè, num Latina commutare aliis verbis Latinis.

Eſt autem quinquepartita materia ſtili, & modus exercendi ſtili quinq; partibus conſtat.

Primus eſt μεταφράσεως, verſionis in commutatione linguæ: ut cùm ex Græcis orationibus Latinas facimus, & contrà: quæ fuit conſuetudo Romanorum, nominatim Ciceronis. Hîc monitum velim candidatos ſacri miniſterii & politices ſtudioſos, ut ſæpe orationes Latinas transferant in linguam vernaculam.

Secundus ſtili exercendi modus eſt παραφράσεως oratoriæ, quâ orationes in eadem lingua explicando dilatamus, aut aliis verbis commutamus. Hunc modum ſtili *Sturmius* vetat *l. 1. de imit. c. 11.* Rationem addit: Quicquid enim (ait) ſubſtituetur fit deterius. Itaque hunc modum mittimus, ita nobis *ſecundus ſit modus παραφράσεως poëticæ quâ orationem ligatam commutamus in ſolutam.* Hic modus facit linguam copioſiorem, & oſtendit discrimen inter Oratorem & Poëtam.

Tertia ſtili exercitatio eſt ſuscipere partes cauſarum contrarias: ut, ſcribere pro Clodio, refutare argu-

argumenta Ciceronis, refutare quæ dicuntur vera esse. Hoc esse utilissimum, testatur *Sturm. d. l.*

Quarta pars est in historiis, quæ habent sæpe contrarias conciones, contrarias orationes.

Quinta pars est nostrorum temporum, nostrarum quæstionum. Optimum enim est omnium, & ad veritatem accommodatissimum, nostræ ætatis causas tractare, theologicas tractare quæstiones, à procuratoribus causas accipere forenses, & stilo vertere Romano. Quemadmodum Cicero exercuit se in quæstionibus philosophicis: sic nos in Theologicis. Augustinus suppeditabit materiam: Basilius & Chrysostomus exempla de temperantia, de charitate, de eleëmosyna. Nam Basilius & Chrysostomus in puritate sermonis, in studio eloquentiæ, ne ipsi quidem Demostheni cedunt.

III. Diligentiæ ratio. Diligentia certè in scribendo præcipuè adhibenda. Quicquid enim scribitur, elaborandum est, ut id accuratum sit: sed à doctis intelligatur: ab indoctis sentiatur: non animadvertatur, quâ ratione compositum sit.

Est autem diligentia duplex: una accurationis, in omnibus orationis partibus, ut istæ sint puræ, perspicuæ, decoræ: *altera concinnitatis*, ut eædem sint ornatæ figuris.

Tria sunt hujus diligentiæ præcepta. 1. Omnia scribere quàm diligentissimè. 2. Scribere quædam (non omnia) pulcherrimè. 3. Scribere quamplurimùm. Is autem plurimùm scribit, qui quotidie

aliquid ſcribit, qui aſſiduè, qui conſtanter ſcribit. Res ipſa non eſt numeranda paginis, neq; multitudine verſuum, ſed æſtimanda aſſiduitate, continuatione exercitationis.

Hæc ſtili induſtria in ſex rebus ſeu methodis eſt poſita. Prima eſt ἐκλογὴ, delectus verborum & rerum quibus uti velis.

Secunda eſt πρόθεσις, appoſitio, quâ additur id quod deeſt.

Tertia eſt ἀφαίρεσις, detractio ſuperfluorum.

Quarta methodus eſt ἀντικαταλλαγὴ, ſeu μετάθεσις, commutatio meliorum: ut ſi verbum tranſlatum eſt melius proprio, illo utendum.

Quinta μετάθεσις, collocatio, quæ facit orationi pavimentum æquale, elegans, vermiculatum.

Sexta ποικιλία, varietas, ſcilicet ſententiarum, verborum, periodorum.

Diligentia in his ſex conſiſtit. Non autem in eo poſita eſt, ut manè ſurgas, ſemper aſſideas ad pulpitum, animum fatiges. Hi ſunt modi diligentiæ. Hæc omnia debemus applicare in omnibus orationis partibus. Hæc ſex non ſolùm in verbis, verùm etiam in ſententiis, figuris, periodis, clauſulis, ornamentis ſunt adhibenda.

Quinta exercitationis oratoriæ pars eſt declamatio, quæ eſt verarum cauſarum imitatio, actione adhibitâ, & voce, & vocis moderatione unà cum motu & geſtu corporis tali, qualem forenſes cauſæ deſiderant.

Decla-

Declamationis considerabimus utilitatem, materiam, tempus.

De utilitate sic habendum: Declamatio est veluti prodromus actionis. Nam declamatio vel domi, vel in scholâ, actio in foro locum habet. Declamatio ista est perfectio totius exercitationis scholasticæ, est quasi extrema manus scholarum, renovans memoriam omnium quæ antè didicimus. Iccirco hujusmodi declamationes debent esse quotidianæ, sicut fuerunt apud veteres. Nam qui in hisce scholis non inexercitatus erit; is bene instructus veniet ad docendum etiam ex tempore, ad doctorum virorum gymnasia, neque florentissimarum Academiarum judicia extimescet, & ad conciones sacras non solùm doctrinam, verùm etiam actionem conveni entem afferet. Tanta scil. est declamationum utilitas.

Materias declamationum suppeditant superiora & nostra tempora, quæ habent gravissimas controversias Theologicas, & politicas, adde fabulas, & historias priscas, si placet. Plenius sic habe: Hypotheses, id est, materiæ declamationum quatuor habent genera. Sunt enim I. Hypotheses fabulosæ. Fabulosa namq; argumenta, præsertim tragica, tractanda erunt. Suppeditabunt enim scriptores tragici, ut Euripides, Sophocles, Æschylus, patheticas irarum, misericordiarum, & miseriarum formulas. II. Hypotheses historicæ, veteres, quales apud Plutarchum. III. Hi-

ſtoricæ itidem, ſed noſtri temporis. Hæ enim
movent ſuaviùs & acriùs, quoniam ſunt noſtr
memoriæ. IV. Hypotheſes agoniſticæ, id e
controverſiæ noſtri temporis, quales jam ag
tantur in Imperio. Hîc oportet dicere unum p
alterum *contrà*, ut loquuntur.

De *tempore* huic exercitio impendendo, ſ
ſtatuendum. Noſtrum eſt imitari veteres, apu
quos ſingulæ ſæpe horę ſuas habebant declam
tiones. Neque difficilis erat hæc ratio. Erat enim
modo bono, & ratione artificiosâ inſtituta. In
la enim declamationum ſocietate erant tres cla
ſes: 1. Tyronum, qui ab artis cognitione dimi
in hanc arenam admittebantur. 2. Mediocr
ter exercitatorum, qui diutiùs in hâc exercita
facultatem adepti erant mediocrem: 3. Veter
norum militum, quos & ætas jam & Respub
evocabat.

His tribus generibus declamationum tempo
ra diſtinguebant, officia præſcribebant ſcriptio
ne, commentatione, ſubitâ oratione, actione. Ita
que exercitatis, & ferè perfectis ex tempore &
memoriter dicendum erat: mediocribus ſæp
diem, aliquando triduum permittebant. Infim
vero ordini pluſculum dierum, pluſculum etiam
ſcriptorum dabatur.

Adjuvabantur etiam à præfectis ſuis, prę mon
ſtratis quæſtionibus, partitionibus indicatis, ar
gumentis atq; eorum coloribus ſuppeditatis. Et
hoc

hoc ipso doctore etiam audiebant rationem pronunciationis, atque ita hâc ratione ex re difficili, facultatem facilem comparabant, ut quotidie vel dicere, vel audire, vel meditari liceret: neq; minus qui audiebant, quàm qui declamabant, possent perficere.

Extremum locum dedimus in exercitatione oratoriâ actioni, quæ in duas partes divisa est, in vocem & motum: quarum altera auribus excipitur, vox ipsa: altera oculis cernitur, motus corporis. Utriusq; summa cura gerenda est. Gerenda autem est in collegio aliquo oratorio, non intra privatos parietes, ut ne possit tibi occini illud, quod Demonax superbo adolescenti oggessit: quem quum perorantem audisset, rogavit, num antehac se exercuisset: qui ubi annuisset, Demonax rogavit porrò, coram quo: adolescens, coram me, ajebat: tum Demonax: Non igitur mirum quòd nil profeceris, quum stulto usus fueris auditore.

PERORATIO METHODI ELOQUENTIÆ.

EXposuimus ferè ut potuimus, quæ maximè ad instruendum oratorē pertinere arbitrabamur, secuti ductum & præscriptum magnorum oratorum, *Ciceronis*, *Sturmii*, *Junii*, *Treutleri*, *Voëlli*, *Keckermanni*. Quæ omnia, ut prosint quamplurimis, requiritur Calendarium oratorium, seu Typus exercitiorum oratoriorum

per totum annum, quo ſcilicet fit ut quolibet die imò qualibet horâ ſuum habeat penſum Oratoriæ candidatus. Hujusmodi Calendarium quolibet ſibi formabit, ſuæque indoli applicabit, ne certè à magiſtro formatum accipiet, ut ne voluptico ingenio, & deſultoriâ levitate abreptus præcipitia, unde pedem referre non poſſit, plenus impetu ruat. In tali Calendario primas defert Imitationi, non autem Arti. Etſi enim ars tempore antecedit imitationem, dignitate tamen ſuperatur. Imitator enim non eſt famulus artis, ſed comes & ſocius, imò dux, dominus, & præmonſtrator artis. Quid? Artis opus eſt puerile. Puerile enim eſt oſtendere Exordium, Narrationem, & cætera artificia. Artis veſtigia ſequi, eſt baculo niti, & absque eo non poſſe incedere. Imitator autem conſiderans, quid Cicero fecerit, quid Demoſthenes egerit, aut agat, induit illam orationem virili habitu, & nativo colore, ut oratio videatur eſſe vera. Quantum igitur discrimen eſt inter puerile, & virile: tantum discrimen eſt inter artem & imitationem. Summa: Inter artem & imitationem eſt illud discrimen, quod eſt inter arma & illorum uſum. Artifex eſt veluti Vulcanus, imitator Achilles: ille fabricabat, hic utebatur armis.

FINIS LIBRI QUARTI.

LIBER V.

LIBER QUINTUS
De
CRITICA.

Cap. 1. Critices definitio.

EXpoſita eſt Flexamina: exponenda nunc eſt Critica.

Critica eſt oratoria, non-ſacra de optimo genere oratorum.

Critices vocabulum eſt notum in Scholis.

Duobus autem cumprimis accipitur modis. Nunc pro parte Logices, quæ dicitur judicatrix. Vide *Agricolam* & *Ramum*. Nunc pro eâ Philologiæ parte, quæ de reſtitutione optimorum authorum agit. Hinc Philologi principes hodie vocantur Critici & antiquarii. Hujusmodi critici celebrantur apud Hebræos *Maſſorita*, qui 848 lectiones marginales veteris inſtrumenti annotarunt, literatum Hebraicarum, quoties occurrant in V. T. capitum item & verſuum Biblicorum calculum ſubduxerunt: quâ de re adi *Eliam Levitam*, *in Maſſoreth hammaſóreth* & *Hugonem Brougthonum Anglum* præceptorem noſtrum in Hebraicis & Chaldaicis in *comment. ſuper Daniel.* Apud Græcos ſunt ii, qui varias le-

ctiones collegerunt; quales in N.T. scriptis fu
Erasmus, Stephanus, Beza, Casaubonus: in pro
nis fermè innumeri. Apud Latinos itidem fu
innumeri: in quibus facilè agmen ducunt *Rh
diginus, Victorius, Politianus*, Illustrissimus Jo
*phus Scaliger, Lipsius, Casaubonus, Gruterus
Taubmannus*. Atque hæc Latinorum Critica
vel oratoria, vel poëtica. Nos oratoriam cu
Deo Opt. Max. in medium dabimus.

Cap. 2. Critices Divisio.

CRitica illa oratoria Latina *est partim Meth
dica, partim Historica:* illa generalis, hæc sp
cialis & propria.

*Critica Methodica præscribit methodum v
sandi in Latinis oratoribus:* alias vocatur C
tica Canonica, quia præscribit certos can
nes.

Est q; tum Correctrix, tum Directrix.

*Critica Methodica Correctrix agit de res
tutione locorum depravatorum:* de qua *cap. s
quenti.*

Cap. 3. Docta & critica lectionis partes.

CRitica *correctrix consideratur juxta partes, &
modum correctionis critica.*

Lectio

Lectionis criticæ partes sunt numero decem, ut constat è decuriis Hartungi:

1 *Diversarum eruditionum sive lectionum notatio*: Græci vocant πολυπλόκους ἐκδόσεις.

2 *Depravatorum*, Græci vocant παραγράμματα, *restitutio*.

3 *Prætermissorum*, ἐλλειμάτων δι' ἀμελείας, *complementa*.

4 *Attributorum perperam*, παρατατταμένων οὐχ ἁγίως, *expunctio*.

5 *Erratorum in citando notatio*; ἁμαρτημάτων ἐν τῷ παρατίθεσθαι.

6 *Singularium locorum observatio, & obscuriorum explicatio*: τῶν ἐξαιρέτων, ἀδήλων, καὶ οὐ πάνυ ἀκριβῶς δηλωθέντων.

7 *Versorum parum expeditè emendatio*: τῶν οὐ σαφῶς ἑρμηνευθέντων.

8 *Rituum priscorum, singularium, variorum*, ἐθῶν διαφόρων, *enarratio*.

9 *Allegatorum sine authoris nomine, & nusquam occurrentium excusatio*: παρατεθειμένων ἄνευ ὀνόματος τοῦ συγγραφέως.

10 *Lapsuum memoriæ restitutio*: τῶν μνημονικῶν ἁμαρτημάτων, ἢ πταισμάτων.

Atque hæ sunt illæ partes correctionis criticæ, quas inter legendum, censendum, animadvertendum & castigandum observant.

Cap. 4. Modus correctionis Criticæ.

SEquitur *modus correctionis Criticæ, qui continetur his regulis.*

1 *Prima cura sit, argumentum & scopum libri prænosse.* Finis enim est mensura lectionis.

2 *Si error sit in literarum, syllabarum, dictionum, aut etiam totius contextus mutilatione vel prætermissione, exemplar emendatissimum erit consulendum.* Oportet itaque ad manum habere aliquammulta exemplaria, è quibus variæ lectiones enotari possint. Idem judicium esto de incommodâ distinctione, quæ non est facta in loco.

3 *Si volumen emendatius errori non medetur, conjecturâ assequi oportet germanam lectionem.*

4 *Loca obscura explicanda sunt per clara.* Oportet itaque instituere collationem, quæ est duplex: una, quâ varia authoris loca inter sese conferuntur; altera, quâ locus authoris cum aliorum authorum locis vel similaribus, vel dissimilaribus confertur. Similares loci sunt, qui congruunt vel ῥητῷ, vel διανοίᾳ; dissimilares contrà.

5 *Antiquissimorum marmorum & codicum authoritas prævalet ratiunculis criticellorum, itemque recentiorum manuscr. authoritati.* Ratiunculas dico; nõ rationes. Si enim ratio solida afferri possit, ea rati-

ea militabit contra antiquitatem codicum. Consensus doctorum virorum hâc in parte etiam valet plurimùm.

6 *Pauca sunt intelligenda secundùm multa.* Si itaque unus locus obscurus semel duntaxat occurrat; cujus sensus alibi sæpiùs repetitur; unus ille locus è multis restituendus erit.

7 *Criticus notare debet mores illius gentis, è quâ scriptor fuit oriundus.*

8 *Peregrina vocabula si occurrant, ea vel ab aliis, iisq; doctissimis, nervosè explicata accipiet, vel intacta relinquet.*

9 *Quoties occurrit dictio πολύσημος, multa habens significata, illius significationem venari oportet ex antecedentibus & consequentibus.* Has autem partes correctionis Criticæ sibi non debent arrogare nisi ingenia heroica.

Cap. 5. Critices Directricis regulæ.

EXposita est critica correctrix: sequitur directrix, quæ ostendit modum lectionis & judicii.

Oportet judicium ferre de scriptoribus Latinis, quos oratores dicimus. Hîc ne quis quid pronuntiet temerè, opus est cynosurâ, quam paucis ob oculos ponemus, acturi de naturâ linguæ latinæ, & ideâ criticâ.

De naturâ duæ sunt regulæ.

I. Principio videndum est, an oratio sit be
Latina. Magna certè laus est in oratore, ut ora
tio sit bene Latina. *Sturm. de imitat. l. 1. c. 1. Sch*
larum. Aliud enim est Latinè loqui, aliud be
Latinè loqui. Latinè loquebantur vinitores
agricolæ: bene loqui erat equitum & sena
rum Romanorum. Est quidam sermo Latin
qui vocatur oppidanus, quo utebantur in mino
ribus urbibus, id est, oppidis. Et Cicero in Bru
habet quosdam oratores oppidanos, quos
men retinet in numero oratorum. Sed non solu
Latinitatem oppidanam esse oportet: verùm
am urbanam. Non satis est Latinè loqui, sed
portet bene Latinè loqui. Sic perpetuum, &
bitum oratoris officium est, non solùm sem
Latinus, sed etiam bene Latinus. Ita nulla pa
periodi careat Latinitate. Sed est tertiũ genus L
tinitatis, ejus qui loquitur perbene. Perbene lo
quitur qui excellenter loquitur, qui ornatè loqu
tur, qui adhibet nõ solùm ornatum, sed ornatu
excellentẽ. Quemadmodũ duplex est Latinita
sic duplex ornatus. Est ornatus mundus, qui sp
ctatur in verbis Latinis, in consecutione casuu
numerorum, temporũ, qui ornatus ubiq; nece
sarius est. Alter autẽ ornatus est ratus, singular
ornatus honorarius, Græcis ἔνλαμπρος, φιλόπμ
simpliciter πάμπολυς κόσμος: quo oratores utun
in perorationibus, inflammationibus, amplifica
tionibus, quæstionibus & argumentationibu
q

quæ diriguntur non solùm ad docendum, sed etiam ad movendum, id est, ad eas laudes adipiscendes, quas in aliquo oratore putas excellere. His ita positis, concludimus, ad crisin oratoriam valde esse necessarium, ut hæc duo observentur: nempe, an orator sit Latinus vel bene Latinus; an adhibeat ornatum necessarium, vel etiam honorarium. Hîc velim ita cogites de Latinitate. Postquam Romani facti sunt rerum domini, ut cum poëta loquar, conati sunt suam linguam victis obtrudere. Sic enim naturâ comparatum est, ut is penes quem est summa imperii, unà cum legibus & edictis suis suam quoque linguam populis sibi subditis tribuat: aut saltem, si non continuò in omnibus provinciis, quibus hujusmodi princeps imperat, ipsius idioma tanquam vernaculum in omnium ore versatur, sensim tamen illuc irrepit, ac radices suas quàm latissimè diffundit. Certè Alexandro Magno clavum Imperii tenente, lingua Græca à poëtis, philosophis & oratoribus culta & exornata fuit: imò transmissa in Rhodum, Cyprum, Siciliam, Italiam, Galliam, Hispaniam, Syriam, & Orientis magnam partem. *Livius* XXXI. *Plutarchus in Crasso. Guido Fabricius in præfat. Chald. Grammat. op. reg. Lipsi. de pronunc. ling. Lat. cap. 3.* Ad eundem modum Romani suam linguam cum subjectis populis (ut taceam colonias & com-

mercia) communicârunt; non ſolùm cum aſſini
videl. Etruſcis, Umbris, Samnitibus, aliisque la
lorum: ſed & cum diſitis. Nempe communio
nem ſeu jus civitatis Romanæ nemo adipiſci po
terat, niſi Romanè intelligeret & ſonaret. Ide
Claudius Imp. ut author eſt *Sueton. cap. 16.* ſple
didum vitum Græciæque provinciæ princip
verùm Latini ſermonis ignarum, non modò a
bo judicum eraſit, ſed etiam in peregrinitate
redegit. Romani nempe putabant honorē ſum
ag in honore ſuæ linguæ. Ita ne legatis quide
gentium exterarum permiſſum in curia, niſi p
interpretem, loqui: iisque Latinè ſemper reſpo
ſa data. *Valerius l. 2. c. 11.* Idque ſervatum eſt no
in urbe tantùm, ſed etiam in Græciâ & Aſiâ, qu
ſcilicet Latinæ linguæ honos per omnes gen
venerabilior diffunderetur. Quin nec Præſi
provinciarum aut prætores, niſi Latinè jus dix
bant: & quidquid publicè geſtum, prolatum hi
linguâ. Hoc *Auguſtinus* in ambitione ponit li
19. de civit. Dei cap. 7. At *Plinius l. 3. c. 5.* in Ital
laudibus numerat, quòd tot populorū diſcord
linguas ſermonis commercio ad colloquia co
traxerit, & humanitatem homini dederit. Na
ſeparatio illa linguarum gentem à gente, hom
nem ab homine ſeparat (ſunt verba Auguſtin
ut homo malit eſſe cum ſuo cane, quàm cu
ἑτερογλώττῳ. Ita ſparſa igitur hæc lingua, bon
generis humani: tàm longè, latè, ut *Plutarch*
ſe

ſcripſerit, omnes ferè homines eâ uſos ſuo ævo: *in quæſt. Platonicis*. Sparſa tamen verſus Occidentem & Septentrionem maximè: quia Græci & Orientales, haut æquè faciles cedere, & faſces ſubmittere ſermoni, quem præ ſuo putabant parum cultum. At Afii, Galli, Hiſpani, Pannonii, Britanni avidè arripuerunt, ut *Apulejus in Floridis*: *Strabo*, *Vellejus* & *Tacitus* meminerunt. Tam latè itaque fuſa hæc lingua non manſit pura, ſed apud tam varias gentes variavit ipſa: nec patrium illum colorem diu tenuit aut ſuccum. Ut enim vites arboresque translatæ degenerant, aquæ item aliter in fonte, in rivis aliter ſapiunt: ita ſermo ſuam indolem non ſervat, ſi migret ad varios. Taceo Gothorum, Hunnorum & Vandalorum irruptiones, quæ maximum huic linguæ damnum dederunt. Quid dicam de barbaris Scholaſticis, de illorum hæcceitate, ecceitate, quodlibetis, & monſtroſis loquendi formulis? Quorſum, inquies, iſta hiſtorica narratio? Horſum, inquam, ut oſtendam, quinam ſint optimi Latinæ linguæ oratores. Sunt illi optimi, qui in urbe Româ claruerunt: Sunt, qui proximè ad Ciceronis ætatem accedunt: Sunt, qui pulſis Cimmeriis Scholaſticorum tenebris, patrum noſtrorum memoriâ Ciceronem in Scholas poſtliminio quaſi reduxerunt. Has, has regulas nota, ut officio probi critici defungare. Vis probem aſſertionem? Id paucis expedio. In urbe Româ reſide-

bant faſces,& cum faſcibus ipſius linguæ nito
ſplendor,decus. Linguæ Germanicæ vel Gallic
nitorem hodie quærimus in Cancellariis,qu
ſic vocant. Cur non idem faciamus in ling
Latinâ? Optimi itaque oratores nobis ſunt,
urbani. Meliores certè illi oppidanis, ſicuti
die idioma urbanum in Germaniâ nitidius
pidano. Optimi etiam oratores nobis ſunt,
natione fuerunt Romani. Verùm quia m
fuerunt periodi fatales linguæ Romanæ, pa
eas indigetabo potius quàm indicabo. Sunt
tem periodi,ſi rectè obſervavi,ſex.

Prima eſt ejus *infantia* ſeu *pueritia*,& ea
dem ante Terentium: ubi floruerunt *Luci*
Accius, *Plautus*, *Galba*.

Secunda eſt ἀκμή, *ætas vigens*, ſeculum
reum, ætas virilis: ſub quâ *Terentius*, *Ci*
Varro, *Cæſar*, *Salluſtius*, *Livius*.

Tertia eſt παρακμὴ, *declinans ætas adſenu*
in quâ claſſe ſunt, *Quintilianus*, *Valerius Ma*
mus, *Plinius ſecundus*, *Suetonius*, *Celſus*, *Plin*
Junior, *Florus*, *Ulpianus*, *Lactantius*, *Juſtinia*
Imperator, *Boëtius*, *Sedulius*, *Auſonius*, *Apule*
Fulgentius, *Martianus Capella*.

Quarta ætas hujus linguæ fuit *ſenectus* &
lut ſepultura, ad quam pertinent Scholaſtic
mnes,quorum tres ætates vide apud *Lamb.*
naum ſuper Lombard. Principes inter eos ext
Albertus Magnus, *Thomas Aquinas*, *Johan. Sco*
Du

Duns, Alanus, Bonaventura, Petrus Hiſpanus, Gabriel Biel, Occam.

Quinta periodus eſt illius ἀνάϛασις, *renovatio*, & priſtina quaſi vita. Hæc ætas eſt tripartita, *Prima, Media, Nova.*

Prima illa habuit *Aldigerium, Petrarcham, Bocatium, Philelphum, Vallam, Æneam Sylvium, Baptiſtam Mantuanum.*

Sub *mediâ* ponendi *Angelus Politianus, Hermolaus Barbarus, Marſilius Ficinus, Picus Mirandula, Rodolphus Agricola, Conradus Celtes, Jacobus Sadoletus, Chriſtoph. Longolius, Phil. Melanchth. Joach. Camerarius, Joan. Sturmius, Nizolius* &c.

Nova ætas eſt inde à Lipſio ad hoc uſque momentum.

Atque hæc eſt prima regula Critices directricis: properemus ad alias.

II. Oportet cognoſcere vitam & indolẽ oratoris ex hiſtoriis, & ipſis orationibus. Hac enim duplici ratione pervidere poſſumus ingenium illius, númne fuerit illud oratorium, vel nõ. Duo enim ſunt genera ingeniorum, uti tradũt eruditi: unum ſcil. philoſophicum, alterum oratorium. Philoſophicum ingenium eſt, quod ſolutum, quod expeditum, non aſperum, non durũ: quod ſolutè & expeditè poteſt argumẽtari, idq; hoc fine ut poſſit intelligi. Tres virtutes ingenii philoſophici Socrates attribuit Theæteto, adeoque oſtendit philoſophicum ingenium ei datum eſſe, qui invenit

quod dicat, qui intelligit quid dicatur, quique expeditè poteſt argumentari. Orator autem ulteriùs progreditur, & requirit ingenium non ſolum dialecticum, ſed etiam oratorium: quod tres habet virtutis gradus diſtinctos. Primus gradus eſt, ut poſſit docere, quod eſt neceſſitatis. Secundus, ut poſſit delectare, quod eſt ſuavitatis. Sed hæ duæ virtutes ſunt communes cum Philoſophis. Tertium eſt ingenium movens, commovens, perturbans, inflammans ἀγωνιστικόν, actuoſum. Hunc itaque pronunciabis optimum oratorem, qui eſt ingenio philoſophico & oratorio. Ingenium illud oratorium aut naſcitur aut efficitur. Si non naſcatur, ut in Demoſthene videmus, debet effici inſtitutione. Cæterùm dum nominamus ingenium, intelligimus δύφυιαν, *nam naturam*, cujus tres ſunt gradus: Primus δυνάμεως, facultatis, quæ in cunis & infantibus latet: in pueris autem incipit ſeſe nonnihil oſtentare. Secundus gradus eſt ἐνεργείας, actionis, qui in ſcholis ſe oſtendit, & quidem tribus modis, φιλοπονίᾳ, ſtudio & diſcendi cupiditate, ἀγχινοίᾳ facili apprehenſione, & μνήμῃ, memoriâ. In hoc ſecundo naturæ bonæ gradu duo ſunt genera unum naturæ bonæ genus eſt, cui ſatis eſt præceptoris inventio & doctrina, nec cupit præceptorem ſuperare: ſecundum genus eſt paulo excitatius, cupidius laudis, quod vitia obſervat in ipſo præceptore. Tertius denique gradus eſt tempus perfe-

perfectionis, perficiendi scilicet id, quod sese manifestat. Hæc, inquam, cognoscenda sunt ex historiâ, seu vitâ oratoris, an ita singula se habeant. Hac ratione possumus pronunciare illum esse bonum oratorem, in quo hæc singula concurrunt.

Exposita est natura linguæ Latinæ: sequitur idea, de quâ hic canon.

Optimum pronunciabis oratorem, qui de rebus magnis graviter, de rebus parvis presè, de intermediis autem rebus potest dicere temperatè. Hoc enim est tripartitum oratoris officium, ut multis in locis Cicero docet. Et quale oratoris est officium, tale etiam dicendi genus, quod vocatur idéa oratoria: de quâ nunc agendum fusè: Primò in genere, deinde in specie.

Idea oratoria in genere consideratur quoad divisionem, & modos dicendi.

Cap. 6. De Ideâ oratoriâ.

IDéa oratoria est ipsum dicendi genus, forma nempe, & figura, & species, & vera ipsius orationis imago. Quemadmodum enim pictor, qui hominis formam vult exprimere, necesse est ut statuat, virúmne velit pingere an mulierem: alia enim forma viri est, alia mulieris: sic quilibet bonus orator figuras dicendi semper sibi habet propositas. Græci vocant ἰδέας & χαρακτῆρας λόγου.

Intellige hîc idéam non Platonicam, quæ dedu-
catur è cerebro Jovis: ſed tale exemplar, quod
optimum & perfectiſſimum eſt in oratoriâ fa-
cultate.

*Idea oratoria ſeu dicendi genera alia apud Ci-
ceronem, alia apud Hermogenem.* Illa Ciceroni-
na, hæc Demoſthenica dicitur.

Genus dicendi ſive idea orationis, juxta Cice-
ronem, parentem Latinitatis, *triplex eſt, Grave,
Subtile, & Temperatum.* Quale enim eſt offici-
um oratoris, ut ſuperioti capite diximus, tale-
am debet eſſe dicendi genus.

*Genus dicendi grave eſt, quo utitur orator
animis hominum quaſi inflammandis*; ut in am-
plificationibus, in perorationibus, in gravi-
mis contentionibus, pœnarum & ſupplicio-
virtutum & ſcelerum. Aliâs dicitur amplum
& ἀξιωματικὸν, quaſi dicas, ſitum in digni-
tate.

*Subtile dicendi genus eſt, quo utitur orator
docendo, in refutando, in rationibus concludend.*
Aliàs dicitur preſſum.

*Temperatum dicendi genus eſt inter duo illa
termedium, quod eſt mediocre.* Hoc genere u-
tur orator plerumque in exordiis, & in oratio-
moratâ, videlicet in animis eorum, qui audiu-
conciliandis, in benevolentiâ, inquam, & gra-
colligendâ. Sic primi generis eſt flectere & co-
citare, ut in epilogis: ſecundi docere, ut in n-
ratio-

ratione & confirmatione: tertii conciliare, id est, delectare, ut in exordiis. Morata enim oratio dirigitur ad voluptatem & suavitatem. Nihil autem virtute est suavius, nihil amabilius. Hæc tria igitur in orationibus quibuslibet critico sunt observanda.

Hoc tripartito fine proposito, quem criticus in optimo oratorum genere observare debet, *oportet observare quatuor tropos, id est, modos scribendi. Primus modus est puritatis, secundus perspicuitatis, tertius ornatus, quartus decori.*

Hæc est oratoria τετρὰς, quaternio. Quemadmodum Pythagoras erat admirationi, propter suam Physicam tetrada: posuit enim quatuor principia omnium rerum: sic oratores optimi semper ob oculos habent istam tetrada: & à periodo non debemus discedere, nisi hâc tetrade considerată. Quælibet enim periodus debet esse primùm pura, deinde perspicua, tum ornata, postremò decora. Videamus singula.

Cap. 7. De primo dicendi modo, qui est puritatis.

OPtimus igitur orator judicatur, qui non solùm dicendi genus, sed etiam tropum observat, cujus quatuor genera esse diximus. Nam

latina, ut nullum vocabulum sit ethnicum, peregrinum, barbarum. Deinde consistit puritas in sententiarum formulis, & verborum connexione, quam oportet esse Latinam. Hanc puritatem hodie amisimus. Barbaries regnat in scholâ & foro. Causæ barbariei sunt tres. 1. Quòd sermo latinus nobis non est vernaculus. Romani quasi exuberibus matris sugebant latinæ linguæ succum. Accipiebant illam à naturâ, à parentibus, à pædagogis, ab æqualibus. Hodie autem non nascitur nobiscum. Apud Romanos summa laus erat, ex copiâ deligere verba meliora. 2. Pauci jam colunt eloquentiã, imò multi contemnunt. Unà cum ætate incipiunt langueſcere eloquentiæ studia, præsertim in studio Theologico. Hîc, hìc sunt pulli quidam, imò veterani Theologi, qui ne unam quidem periodum Latinè proferre sciunt. Degeneres illi Theologorum non considerant puritatem in Bibliis esse summam. Quis enim sermo purior est, quàm Hebræus? Is videtur quasi cum rebus ipsis natus esse. Pauca in Bibliis reperiuntur, quæ sunt ἐθνικά: sunt verba indigena, λέξεις αὐτόχθονες. Prophetæ purissimè sunt locuti, habent exempla omnis generis dicendi. Esaias suppeditat gravissimum dicendi genus. Paulus multis in locis utitur majestate & excellentiâ orationis. Et certè si compares Paulum cum Demosthene, reperies graviores locos, quàm in Demosthene, Longè præclariùs loqui-

unumquodque dicendi genus oportet habere quatuor modos. Quicquid enim vel grave est, vel summissum, vel temperatum: oportet ut primùm habeat puritatem, ut sit purum: deinde apertum, ut facilè possit intelligi: tertiò ut sit ornatum: quartò ut decorum. His enim veluti gradibus conscendimus Capitolium eloquentiæ Romanæ; 1. puritas perspicua. 2. perspicuitas ornata. 3. ornatus decorus. Videamus ordine singulos modos, seu virtutes, Aristoteles enim vocat ἀρετὰς.

Primus modus, prima virtus, est puritas.

Purus sermo est, qui non est barbarus, qui togam habet Romanam puram.

Hæc virtus est vocabulorum tum singulorum, tum compositorum.

Purum verbum est *damnum, detrimentum, incommodum.* Purum est etiam, *Do.* Purum etiam est utrumque, *damnum dare, malum dare.*

In hâc parte laborat nostra ætas. Pauci enim operam dant puritati. Propterea quòd multa occurrunt vocabula barbara. Neque enim omnia Latina sunt pura: sed confusa sunt cum oratoria poëtica: verba antiquata conjuncta cum verbis usitatis: Verba item Græca malè sunt translata quæ orationem faciunt impuram, id est barbaram. Puritas illa apud Græcos ἑλληνισμὸς, ἀττικὸς λόγος, apud Latinos Latinitas dicitur. Ea consistit in verbis primò singulis: ut singula verba sint latina,

tur de ſuo Evangelio, quàm Demoſthenes de ſu
lege. Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomu
& Baſilius annon purè ſcripſerunt? Qualénu
igitur vos, Theologaſtri, habet cacoëthes, q
ſtudium puritatis Latinæ contemtui habetis? V
reor, ut relabamur paucis annis in barbarie
niſi ſtudium purè dicendi revocetur. Barb
riem certò ſequetur fœdatio doctrinæ Ecc
ſiæ. Quemadmodum enim cum ſtudio litte
rum recuperata eſt religio: ſic etiam veniem
in eandem barbariem hoc neglecto. 3. Q
artes & diſciplinæ ſunt corruptiſſimæ. Sing
læ diſciplinæ ſua habent vocabula, quæ voca
tur τεχνικά, ubi non retinemus Latinitate
Ciceronis, Celſi, Varronis, ſed præferimus Ar
bica, Thomæ item, Scoti, & ſimilium Sch
laſticorum. Malumus dicere *intimare*, quà
proſcribere: malumus dicere *definitio ſubſta
tialis*, quàm *definitio rem propriè exprim*
Aliud autem eſt novatis uti, authoritatis, a
neceſſitudinis causâ, aut leporis gratiâ: ali
eſt temerè uti peregrinis, cæterarum gentiu
& ſemilatinis, imò illatinis. Removen
eſt à ſtilo eloquentiæ Scotus, & id genus ſc
ptorum. Lactantius purus eſt, purus ipſe Hi
onymus, præſertim adoleſcens & in virili
tate; Cyprianus verè floridus eſt. Paulus
gnitate verborum nec Demoſtheni quidem
dit. Quid purius quàm religio? quid grandi
quà

quàm Deus? Res grandes grandem requirunt orationem. Videantur loca quædam Prophetarum, quàm gravia sint, quàm illustria, quanta potestas sit in ipsis verbis. Impurè scribere in religione, est Paulum deformi figurâ pingere. Oportet igitur corruptum sermonem Latinum emendare. Licet tamen uti vocabulis non sat Latinis: 1. cùm cogimur uti adversariorum vocabulis, cùm illos volumus refutare. Tum enim retinere oportet formalia, quæ vocant. 2. cùm non extant alia. 3. cum vocabula memorialia, id est, memoriæ causâ conficta, occurrunt, quæ non vitupero. 4. cùm termini facultatum occurrunt, quos non repudio. *Sed quibus modis revocari potest puritas? Tribus, meo judicio. Prima enim cura esse debet, συλλογῆς, collectionis, ut copiosum thesaurum linguæ Latinæ comparemus ordine naturali. Deinde post collectionem sequi debet διάκρισις, electio & judicium, cujus hæc est regula:* Debemus separare ab oratoriis historica, ab historicis poëtica, à quotidianis rara, à raris antiquata, nova à novatis. Novum vocamus, quod anteà non extitit. Novatum, quod ex novo extitit, indutum quasi aliâ veste: quod habet quandam transfigurationem: ut *beatus*: novum *beatitas*. Est inflexione novum; non novum reipsâ suâque naturâ. Diu enim fuit usurpatum. Et

hæc ipsa separanda sunt ab inusitatis, in quibus sequi debemus tria, authoritatem, necessitatem & leporem. *Post διάκρισιν sequi debet πύξις λέξεων collatio verborum.* Debemus copiam redigere in ordinem, non literarum, sed naturæ. Primus autem in naturâ est Deus. Debemus igitur Deum primo loco ponere. Deinde sequitur creatum. Secundo itaque loco constituemus Naturalia, id est cœlum & terram, quæque in iis continentur. Tertio loco erit Homo, qui constat corpore & animâ. Si quis sequatur hujusmodi ordinem, oratio non potest non pura esse. Pura autem sunt, quæ apud Ciceronem inprimis: deinde apud Cæsarem, apud Plinium, apud Cornelium Celsum in re medicâ, apud Varronem in re rusticâ; etiam multa apud Columellam, tametsi hic corruptior. In his scriptoribus errari non potest. Omnia sunt quotidiana & pura. Puritas est etiam extruenda è Plauto, è Catone de re rustica, sed ibi oportet adhibere judicium, ut vitemus quæ sunt antiquata, quæque commutata cum melioribus temporibus Crassi, Antonii, & cæterorum.

Cap. 8. De secundo dicendi modo, qui est Perspicuitatis.

SEd non satis est orationem esse puram: sed oportet etiam esse orationem dilucidam & perspicuam

cuam: quæ virtus vocatur apud Hermogenem *δύκρίνεια* & *σαφήνεια*, efficiens *σύνεσιν* & *κρίσιν:* id est, non solùm intelligentiam, sed etiam judicium.

Modus perspicuitatis his continetur regulis.

I. Oportet verba esse usitata, nostri usûs & cõsuetudinis. Nam peregrina, & antiquata, & barbara sunt obscura, item verba *τεχνικά*, in artibus. Usitatum est non solùm quod notum, sed etiam tritum & quotidianum.

II. Oportet habere verba propria, non autem homonyma.

III. Verba modificata faciunt orationẽ perspicuam. Si iis utatur orator appositè: ut vocare pestem Reipublicæ, bestiam, dedecus urbis.

IV. Sententiæ sumtæ de populi consuetudine faciunt orationem perspicuam, non ex India repetitæ. Si in culina dicas, crocodili lachrymæ, non omnes intelligent.

V. Obscura fit oratio 1. *συνθέσει*, *compositione*, si crebris quis utatur *παρενθέσεσι*. 2. *ὑπερβάτοις*, *verbis trajectis*. 3. *συνθήκῃ*, *perturbatione constructionis*. 4. prolixitate, si periodi nimis multis constent membris. Brevitas orationem facit perspicuam.

VI. Perspicuæ orationis genera sunt quatuor. Est enim 1. perspicuitas narrationis, quæ est vel simplex, nuda rei expositio, cujus finis est docere; vel ethica, sive morata, quæ ad res addit mores;

toris finem, ita ut tres afferat commoditates. Debet ſcilicet docere, delectare & movere. Quemadmodum tria ſunt rerum genera, parvæ ſcilicet & ſubtiles, quæ opus habent doctrinâ & explicatione: & magnæ, quæ opus habent motu: mediocres, quæ voluptate: ſic tria etiam dicendi genera ſunt, & tria genera ornatus. Unum dicendi genus eſt ſubtile, ut oratio Demoſthenis de lege Leptinę, cui ſimilis eſt oratio Ciceronis pro Aulo Cluentio. Deinde alterum dicendi genus eſt huic contrarium, amplum ſcil. grave, & ſublime: ut oratio habita pro Milone, pro Seſtio, pro Pub. Sylla. Quædam verò orationes ſunt intermediæ, ut pro Marcello, pro Dejotaro, pro Ligario. Ut igitur tria ſunt dicendi genera: ſic etiam tria genera ſunt ornatus, ſcilicet ſubtilis ornatus atq; exilis, ſubmiſſus & remiſſus; ornatus gravis & grandis, amplus & copioſus; & ornatus intermedius. Hæc tria oportet in ſingulis oratoribus obſervare: talem in iis ornatum ſpectare. *Ornatus* autem *ille vel ſimplex eſt & ſolitarius, vel conjunctus. Simplex*, quando in ſingulis orationibus invenitur ſeorſim: ut aliquot Olynthiacæ Demoſthenis orationes ſunt ſubtiles, aliquot Philippicæ ſunt graves & vehementes, aliquot mediocres & intermediæ. *Conjunctus*, quando iſta tria occurrunt in una oratione: ut in Philippica ſecunda cõtra Antonium. Propter hanc varietatẽ Cicero in Oratore perfecto dixit: *Nihil amplẽ*

cùm nempe mores hominum in narrando explicantur, idq; vel leni motu, ad conciliandum; ve vehementi, ad flectendū. Eſt & perſpicuitas partitionis atq; argumentationis. Quadripartita igitur eſt perſpicuitas: una ſimplex in narrādo; altera acuta in diſtinguendo & argumentando; tertia ſuavis, in conciliando; quarta gravis, concitata, in commovendo.

Cap. 9. De tertio dicendi modo, qui eſt Ornatus.

HÆ duæ virtutes, de quibus hactenus, ſunt perpetuæ & neceſſariæ cujusque orationis partes: ſed tertia virtus eſt propria oratorum. Varro eſt ſcriptor purus & perſpicuus, itemque Cato. Non autem ibi eſt ornatus oratorius magnus. Hæc igitur tertia virtus eſt honoris, & dignitatis, quâ orator cæteros ſcriptores ſuperat.

Ornatus itaq; eſt tertius dicendi modus, oratoris proprius: qui eſt in argumentando, conveniens rebus parvis, ſubtilibus, & mediocribus. In rebus magnis aptus ad flectendum, ad perturbandum, ad inflammandum: in rebus mediocribus, ad conciliandum, & delectandum: in rebus parvis ad docendum. Hìc itaq; ornatus inveſtigandus eſt in oratoribus, qui in parvis rebus ſit ſubtilis, in magnis gravis, in intermediis mediocris. Et igitur ornatus dirigendus ad tripartitum ora-

tor

Cotta, nihil leniter Sulpitius, non multa grav
Hortensius. Ex quo apparet, Cottam lenem fui
Oratorem: & Sulpitium grandem, & moderat
Hortensium.

Cap. 10. De quarto dicendi modo, qui est decori.

QUartus *dicendi modus est decori.* Oportet nim ornatum non solùm concinnum, s etiam aptum & convenientem esse. Quapropt Criticus perfectam æstimabit orationem qu tuor hisce dicendi modis, quos Græci voca τρόπους: quorum unus, ut diximus, est puritat qui modus spectatur sermone Latino, & form lis sententiarum Latinis. Alter est perspicuita qui est diligentiæ & facilitatis in intelligend Tertius est ornatus. Non enim orationem s lùm oportet esse puram, sed etiam ornata Quartus est decori: ut ista omnia sint attempo rata loco, tempori, & personis.

Cap. 11. De tribus ideæ oratoriæ characteribus.

COnsideravimus ideam oratoriam in genere quoad divisionem, & modos dicendi: jam co siderabimus in specie, quoad characterem.

Character triplex est, sicuti ipsum dicendi g nus tr

nus triplex est: videlicet subtilis, temperatus, & gravis.

Diximus, tria esse dicendi genera, subtile, intermedium, & grave. Subtilis generis est, docere cum lenitate; intermedii, delectare; gravis autem & ampli generis est, commovere. Docemus intelligenter & cum fide: delectamus cum voluptate: commovemus cum acrimonia. Subtile dicendi genus habet sanitatem, & cibum quasi sanum & salubrem: Medium habet cibum suavem, ita tamen ut illa suavitas etiam sit salubris. Grave autem illud dicendi genus habet quasi medicinam morborum, stuporem tollit, tanquã phlegma, ignaviam excitat medicinâ quasi acriore. Tres itaque sunt characteres, singuli singulorum generum. Sunt quidem in omnibus dicendi figuris sive generibus octo spectanda, videlicet 1. Sententiæ, seu argumenta. 2. Sententiarum lumina, ornamenta & insignia. 3. Verba. 4. Verborum lumina & ornamenta. 5. Membra periodi. 6. Verborum compositio. 7. Facetiæ, sententiarum lepos, urbanitas. 8. Numerus oratorius. Hæc omnia debent esse præclara, debent esse laudabilia, debent esse delecta. Sed tametsi præclara sint & laudabilia: tamen sunt aliquando vitanda. In orationibus, virtutes inter se contrariæ sunt: in moribus virtutes contrariæ esse non possunt, sed qui unam habet virtutem, omnes habet; qui unam amat, omnes diligit. Vir-

tus enim, ut docet Schola Ethica, est una copu-
lativa. Hoc non fit in oratione. In oratione enim
virtutes sunt inter se contrariæ. Sicuti enim tri
sunt dicendi genera: ita & tres sunt characte
singulorũ generum. Hæc genera habent propr
insignia, & propria ornamenta, quæ sunt sectan
da, & retinenda, & adhibenda: quædam autem
sunt fugienda. Sic subtili fugienda sunt, quæ sun
gravitatis: sic gravi oratori fugienda sunt, qu
faciunt orationem exilem.

Character subtilis seu exilis continetur duobus praceptis, quorum primum docet qua fugienda alterum, qua retinenda sint. Methodus fug
endarum rerum est ἀποφαλική, tractatur per ne
gantia: eligendarum autem rerum est κατασκευ
λική, traditur per affirmantia. Utramq; ostend
Cicero in Oratore perfecto.

Methodus ἀποφαλική ita habet:

Primùm igitur oratori subtili fugiendi sun
numeri graves, quales sunt pæan primus, pæ
postremus, Dichoreus, Creticus, Molossus, Spo
dæi gemini. Illi enim numeri sunt grandes. Si
tamen numerus aliquis est retinendus, numer
scilicet Comicorum, confectus ex Comicor
pedibus, minutisve numeris, ut sunt Jambi,
Pyrrichii, qui habent syllabas breves. Sed n
meri comici debent esse liberi & soluti. Num
debent servari, sed ut non appareant: debe
occulta

occultari. Occultantur autem compoſitione. Numerus debet eſſe neglectus de induſtria: faciat vocales concurrentes. Sed tamen negligentia debet eſſe munda & nitida.

Deinde ſententiæ in hoc genere non debent eſſe graves, quæ Græcis dicuntur ἔννοιαι σεμναί, de rebus magnis, de Deo, de operibus Dei, de converſione cœli, ſimilibuſque de rebus. Graves enim res graviter tractari debent. Neq; ſententiæ debent eſſe ſplendidæ, de victoriis, de triumphis, de magnificentia Imperatorum, de præclaris ædificiis & ſubſtructionibus. Sententiæ debent eſſe vulgi, conſuetudinis, opinionis communis, rerum minorum: non capiat ſimilitudinem à Jove, neq; à ſplendore Solis, neque à diademate regum, neque à tiara Perſarum regum: ſed è fonticulis, à rivulis, herbulis, à rebus minoribus, à ſervis & ancillis, & ſimilibus rebus, quæ in urbe & domo verſantur. Sed tamen ſententiæ poſſunt eſſe acutæ. Acutæ ſententiæ ſunt, quæ habent diſtinctionem rerum: ut Cicero, *quarum alteram vereor, alteram metuo.* Hæ ſententiæ debent eſſe crebræ & frequentes in hac ſubtilitate: quales ſententiæ occurrunt in oratione *Ciceronis pro Au. Cæcinna, & de lege Leptinæ apud Demoſthenem.*

Tertiò, in verbis faciendis non erit audax orator ſubtilis. Non debet nova verba facere te-

merè. Potest nova verba facere, sed pudenter cum pudore, quando necessarium est.

Quartò, in metaphoris adhibendis non est impudens. Impudens autem metaphora est, quæ arrogans, quæ sumitur à rebus magnis, à rebus cœlestibus: cùm Orator subtilis assumit sibi verba Imperatorum triumphantium. Debet uti rebus suæ conditionis, suæ parsimoniæ.

Quintò, non erit insolens in metaphoris. Insolens metaphora est, quæ sumitur à rebus non solitis, inauditis, non cognitis, à rebus remotioribus. Utetur itaque metaphoris consuetudinis, & quidem crebrò: ut, *Venio ad tertiam orationis partem: venio* est metaphora. *Sic recedam hac parte: quid æstuas, &c.* sunt metaphoræ quotidianæ: quibus utetur Orator subtilis.

Sextò, vitabit sequentia verborum schemata. 1. Paria paribus relata, id est, bina binis, terna ternis, quaterna quaternis. Vocatur hęc figura ἰσόκωλα & ἰσοκωλία; *ut pro Milone: Est hæc, judices, non scripta, sed nata lex; quam non accepimus &c.* Potest quidem uti, sed non crebrò, sed rarò. 2. Ὁμοιοτέλευτα, *similiter cadētia verba.* 3. Ὁμοιόπτωτα, *similiter cadētia nomina.* 4. Paronomasia. Hæc enim habent & ostendunt ἐπιμέλειαν, i. e. curam & studium stili, ostendunt orationem meditatam. Inserviunt etiam magis auribus & suavitati quàm menti atq; fidei. Hæc verborum lumina

sunt

ſunt utilia intermedio Oratori, ratò & parcè adhibenda à ſubtili.

Septimò non utetur longis periodis. Verba ita conjunget, ut ſententias abſolvant vel inciſis, vel membris ſingulis. *Τετρακωλίων* non ſuperabit.

Octavò verba iterata, verba relata, vel à principio, vel à poſtremis vitabit, ut ſunt Epanalepſis, Anadiploſis, Epiſtrophe.

Nonò in figuris ſententiæ vitabis illuſtres proſopopœïas. Non faciet Respublicas loquentes, non revocabit mortuos è ſepulchris in forum & judicium. Hæc enim figura eſt ampli dicendi generis. Aut ſi utetur, utetur ſubtiliter: ut, *vos coryli teſtes.*

Decimò vitabit *μερισμοὺς*, id eſt, distributiones, enumerationes magnas, conglobationes cauſarum, & effectorum. Quia hæc faciunt orationem amplam, & copioſam. Copioſam, ſcilicet numero: amplam, ſcilicet ornatam dignitate & gravitate.

Undecimò non utetur digreſſionibus, delectandi causâ, non *αὐξήσεσι, amplificationibus*, gravioribus & grandioribus: non exornationibus argumentorum. Habebit enthymemata, concluſiones & argumentationes crebras, ſed non exornatas. Utetur *ἐργασίᾳ, tractatione ſimplici*, at non *ἐπεργασίᾳ*, neque *ἐπεξεργασίᾳ*, id eſt, *tractatione duplicatâ.* Non utetur *ἐπιμυθίᾳ, commo-*

rationibus in una re. In omnibus partibus e
pressus. Ad summam: omnia sunt vitanda, qu
habent concinnitatem illustrem; quæ sunt gra
dia, nec usitata, huic oratori sunt vitanda. Hæ
omnia vide in *oratione pro Cæcinna*, quæ, ipsi
Cicerone teste, est subtilis.

Talis est methodus ἀποφατικὴ, sequitur κατα
φατικὴ, *affirmantium præceptorum*.

Primùm igitur eligat verba propria; adhibe
metaphoras, sed quotidianas, parcè tamen
sparsè.

Deinde utetur verbis distinguentibus, qu
propria sunt Dialecticorum.

Tertiò sequentia verborum lumina, puta figu
ras dictionis & sententiæ adhibebit: epanorthos
sin, polyptoton & climacem: sed ornatè.

Quartò in luminibus sententiarum adhibe
commorationes breves & amplificatiuncula
quæ non afferunt voluptatem magnam aut mo
tum, sed quæ fidem faciunt, & rem probant.

Quintò ironiis utetur liberalibus, quæ su
absque acrimonia & impudentia. Partitionib
utetur & digressionibus quàm brevissimis d
cendi causâ. Utetur deniq; petitionibus, sed si
motu, itemq; correctionibus.

*Diximus, qualis debeat esse character subti
Oratoris: temperatus Orator mediis utetur
quæ diximus, mediocriter, & quidem delecta
causâ.*

Charac

Character gravis oratoris debet esse insignis, copiosus & varius, ὄπος & ποικίλος, quorum ille in numero, hic in figuris consistit. Sed copia debet habere σεμνότητα, dignitatem & amplitudinem, quæ spectatur in sententiis gravissimarum rerum, quæ pertinent ad Rempubl. ad salutem civium. Notæ hujus generis sunt: 1. Εὐπρέπεια. 2. Ποικιλία. 3. Ἀξίωμα. 4. Motus vehementior, qui appareat in lachrymis, in exclamationibus, in vociferationibus, in luctu, in fletu, in mœrore, in terrore animi, qui ostenditur pallore vultus, qui facit & ipsum auditorem expallescere. 5. Numerus. Omnia debēt esse numerosa. Oratio illius erit ὄρυθμος, & præterea velox. Robur hominis requirit velocitatem. Hîc orator debet vehi magno cursu, scilicet sententiarum & verborum, & magno sonitu numerorum. Debet esse μεγαλόρυθμος, debet habere numeros magnos, ἀξιωματικούς, ut sunt spondæi, dichoræi, pæon primus, pæon postremus, ut Molossus, cæteriqúe pedes gravissimi. Sed hæc omnia debent fieri propter motum. Orator hîc debet esse ὄχημος, id est, debet habere χήματα, debet habere omnes habitus. Sed non solùm debet esse pulcher, sed etiam ποικιλόχημος, id est, adhibebit omnes figuras dictionis & sententiæ. Hæc enim sunt ornamenta, hæc lumina illustrissima. Hæc lumina sunt quidem communia omnium trium dicendi generum: nulla enim est oratio tam tenuis, tam

exilis, quæ non admittat aliquem ornatum: à tenui Oratore adhibentur tenuiter & subtiliter, à mediocri mediocriter, à gravi graviter & copiosè. Hæc itaque lumina æstimanda sunt ornatu copiâ, dignitate, majore in gravi, temperatori intermedio, subtili in tenui dicendi genere. familiare exemplum cupis, habe Bucolica, Georgica, & Æneida Virgilii: Illa sunt exilia, ista temperata, hæc gravis. In tribus illis utitur ornamentis, sed in tenui dicendi genere tenuiter, subtiliter, & parcè: in medio, & temperato mediocriter & modicè, id est, modo servato, non submisè, ut in subtilitate, non ita graviter, ut amplitudine: in amplo verò dicendi genere tur iis copiosè, fortiter, graviter, imò gravissim

Cap. 12. De idea oratoria Demosthenica.

EXposuimus ideam oratoriam Ciceronianam sequitur Demosthenica.

Cicero orationem perfectam æstimavit quatuor dicendi modis, quos Græci vocant χαρακτῆρας. Tria enim apud illum sunt dicendi genera, ἀδρὸν, ἰσχνὸν, καὶ μέσον, grave, pressum, medium: quorum virtutes sunt quatuor illi dicendi modi, puritas perspicuitas, ornatus, decorum. Hermogenes qui post Ciceronem scripsit, hæc tradidit enucleatiùs, & invenit in Demosthene septem dicendi figura

figuras, sive modos, qui cadunt in illa tria dicendi genera. Sicuti igitur subjecimus quatuor modos illis dicendi generibus: sic etiam has septem Hermogenis formas subjiciemus iisdem. Ex illis enim Hermogenes putat ideam Demosthenis constitui, hoc est εἶδος, genus dicēdi Demosthenicum. Vocare itaque possumus ideam Demosthenicam, & Hermogenis. Demosthenicam: quia Demosthenes usus est. Hermogenis: quia ille observavit in Demosthene, hoc ordine:

Principiò in Demosthene apparet perpetua illa orationis virtus, quam solam Aristoteles agnoscit, σαφήνεια: quâ oratio est clara, non obscura. Quemadmodum homo formosus habet vultum non obscurum, non pallidum, non lividum, sed bene coloratum, colore lucido: ita & orationis facies debet esse εὔχρωμος καὶ εὔχημος. Ergo prima in Demosthene virtus est *perspicuitas*. Ista σαφήνεια duplex est: καθαρότης, *puritas*, & εὐκέλεια, *facilitas*, seu intelligentia.

Secunda in Demosthene virtus est μέγεθος, *magnitudo*. Sicut enim forma parvorum hominū non ita allicit, ut forma magnorum virorum: sic oportet ut ipsa dicendi forma justam habeat magnitudinem. Requirit enim aliquid amplum. Propterea oratio Oratoris dicitur esse ampla, non angusta, contracta, brevis, concisa. Magnitudinem istam Hermogenes partitur in sex alias formas, quarum 1. est σεμνότης, *dignitas*. 2. Τρα-

χύτης, *asperitas.* 3. σφοδρότης, *acrimonia.* 4. λα
ωεότης, *splendor.* 5. ἀκμὴ, *vigor.* 6. ωεριδολ
μεσότης, *circumductio.*

Tertia virtus est κάλλος, *venustas, ornatus.* Q
que enim satis est, colorem esse lucidũ in hom
corporis proceri: sed requiritur etiã pulchrit
& elegantia, nõ incurvicervicum, aut distort
Propterea necessaria est tertia hæc virtus, eleg
tia. Sed hæc tria oportet esse non ignava. Req
ritur in viro velocitas & celeritas. Itaque

Quarta virtus est ταχύτης, *celeritas.* Pinda
laudatur propter celeritatem. Sed hæc celer
non debet esse tripudiorum, & chori, compa
ad pompam: sed debet esse virilis & formidab
Vegetius ostẽdit, hostes maximè territari imp
militum: ita impetus requiritur in oratore.
quid si in his quatuor, in perspicuitate, in dig
te, elegantia, & celeritate sit improbitas, &
exercitus nefarius? Oportet & Oratorem, &
peratorem esse virum bonum. Propterea
esse probitas in ipso oratore, & genus orat
debet esse probum, id est, probi viri. Itaque

Quinta orationis virtus est ἦθος, *genus*
tum, in quo elucent probi oratoris mores, in
orator videatur justissimus, modestissimus
perãtissimus. Moratum verò illud dicendige
Hermogenes metitur quatuor figuris, quæ
ἁφέλεια, *simplicitas*, γλυκύτης, *suavitas*, ὁμα
seu ὀξύτης, *acumen*, ἐπιείκεια, *æquitas.* In simp

tate ſunt hominum minimè malorum cogitata, dicta, facta: in ſuavitate rerũ lętarum, jucundarũ, & quæ delectent ſenſus: in ęquitate cõſilia & ſententię hominis juſti, & pacis, atq; otii amantis: in acumine dicta acuta, arguta. Sed quid ſi hi mores eſſent ſimulati, & ficti: ſi cõqueri videatur in doloribus, & tamen non doleat; miſericordiâ perturbari, & tamen nulla ſit animi in eo lenitas & miſericordia. Requiritur igitur

Sexta virtus, ἀλήθεια, *veritas.* Oportet motus oratoris eſſe veros. Veritas itaq; faciat dolores ꝓbabiles, & animorum cõmotiones nõ ſimulatas. Hunc verũ λόγον Hermog. vocat ἔμψυχον, quòd ſit quaſi int⁹ in animo, quòd oratio videatur ꝓfecta ex animi ſententia. Nõ ſolùm enim vox hominis audiri, ſed quaſi cogitata hominis cõſpici debent.

Poſt hęc ſex ſequitur *decorum.* Hermog. vocat δεινότητα, alii πρέπον: ut nihil in oratore ineptũ ſit, nihil quod non conveniat ſummæ laudi. Δεινότης iſta Hermogeni triplex eſt: οὖσα καὶ φαινομένη; μὴ δοκοῦσα, οὖσα δὲ; φαινομένη, οὐκ οὖσα. Hoc namq; decorum debet habere finem tripartitum. Debet enim eſſe applicatum ad docendum, delectandũ, & flectendum. Propterea vocatur πρέπον δεινόν, efficiens ſcilicet quod vult.

Atq; hæ ſunt ſeptem ideæ generales: in quibus tres ſunt πολυειδεῖς, *quæ habent multas alias ſpecies, videl. Perſpicuitas, Magnitudo, & Mos,* ut modò indicavimus. Jam exemplis illuſtrabimus.

Perſpicuitas eſt duplex: καθαρότης, *puritas*, qu
ſpectatur in caſtitate quaſi atq; pudicitiâ lingu
Latinæ: & ἀνάπλασις, *intelligentia*, cùm intel
guntur ſingula diſtinctè.

Magnitudinis ſex ſpecies fecimus; quarum
1. eſt σεμνότης, *dignitas, gravitas*: quæ Orator
facit quaſi divinum, qui loquitur de Deo, & re
divinis. 2. Τραχύτης, *aſperitas*. In dignitate e
Dei laudatio. Deus laudari vult: admiramur re
divinas: ſunt ibi ſententiæ, quibus Deum felice
celebramus. Omnia ſunt ἐγκωμιαστικὰ, μεγα
στικὰ. Sed in rebus humanis ſunt errata, ſunt pe
cata, ſunt ſcelera. Iccirco Orator in rebus divi
eſt laudator, admirator: in rebus humanis eſt
dex, monitor, caſtigator. Caſtigatio iſta dupl
eſt: bonorum videl. ſed dormitantium, quorum
aures ſunt vellicandæ. Hac aſperitate utitur De
moſthenes in prima Olynthiaca, ubi reprehend
Athenienſium negligentiam: & hęc caſtigatio
citur τραχύτης, *aſperitas*. Altera caſtigatio adh
betur in improbis & ſceleratis: & vocatur σφο
της, *vehementia, acrimonia*. Facit enim vulner
dejicit improbos de ſtatu. Prior illa duntax
mordet: at hæc vulnerat. Itaque 3. magnitudin
ſpecies eſt σφοδρότης. 4. eſt λαμπρότης. Nam po
res bene cultas, poſt ſalutaria conſilia, poſt com
pũctiones, poſt ejectos malos, ſequitur *ſplend*
glorioſa quaſi oratio. Hac Cicero nimiùm fe
utitur. Ciceronem Demoſthenes ſuperat ver
cundi

cundiâ & modeſtiâ. Cicero nimiùm ſe effert. Demoſthenes de ſua politia ſplendidè quidem, ſed paululùm verecundiùs diſſerit. Sed hæc omnia ſummam habere debent maturitatē, debent eſſe vegeta: ut oratio non ſit imbecilla ſeniliter. In Oratore enim oportet eſſe ſenilem ſapientiam, ſed non ſeniles vires. Oportet Oratorē habere ſeniles ſpiritus, & latera, ἀκμὴν. Oportet λόγον eſſe ἀκμαῖον, vegetum, non ſenilem. Itaq; 5. eſt ἀκμὴ. 6. eſt εὐβολή. Nam quia Oratores debent eſſe magni ſpiritus, oportet orationem eſſe condenſatam, & circumductam.

Morata oratio poteſt fieri quatuor modis: Primùm *ſimplicitate*: ut animus ſit ſimplex, non duplex, ut oratio non videatur callida, non veteratoris, ſed hominis. Deinde non ſolùm ſimplices, ſed etiam *ſuaves* debent eſſe mores. Simplicitatem Hermogenes vocat ἀφέλειαν, ab auferendo: quòd omnis κακοήθεια ſit ablata. Sed ſunt homines ſimplices, etiam iracundi, moribus faſtidioſi. Propterea orationem oportet eſſe ſimplicem & ſuavem. Tertiò requiritur in moribus *acumen*, & quartò æquitas ἐπιείκεια.

Hæ ſunt ſeptem iſtæ dicendi figuræ, in quibus ꝓcto ſunt ſpectanda.

I. Conſideranda ſunt ipſa ſententia: quæ ſunt tanquam anima totius orationis: in quibus maximus & diligentiſſimus habendus eſt delectus. Sententiæ vocantur ab Hermogene ἔννοιαι, ab Ariſtotele πίστεις.

II. Secundo loco sunt sententiarũ tractatio quas vocat Hermogenes Methodos. Nã om sententia requirit tractandi methodum & via

III. Tertio loco notanda sunt verba. Nul nim sententia sine verbis exprimi potest.

IV. Quarto loco sunt figuræ verborum, sive lorum ornamenta. Nam figuræ & ornam sententiarum comprehenduntur sub Metho

V. Quinto loco considerandæ sunt membra tentię enim suam habent longitudinem & br tatem. Quemadmodum enim digiti in corp humano suam requirunt longitudinem, & in teris membris justa debet esse proportio: sic am in oratione. Nam sua habet κῶλα, κόμμα ὑποστιγμὰς.

VI. Sexto loco sunt periodi. In membris requiritur compositio.

VII. Septimo loco considerandæ sunt ἀναπα sive τέλη, fines periodorum. Nam fines isti man delectant. Et quicunq; scriptor bonus est, is ximè debet fines periodorum considerare: quando Jambis, aliquando Spondæis, aliqua Dichoræo, aliquando Cretico, Amphimacro Amphibrachy claudere orationem. Hæc c clausularum varietas maximè delectat.

VIII. Octavo loco est numerus oratorius, G cis ῥυθμὸς. Nã ex periodis & clausulis fit aliqu compositum, numerus scil. qui est idem, quod homine pulcher ingressus. Nam animi alacri

& m

& mores maximè in inceſſu intelliguntur. Sic oratoris oratio debet eſſe numeroſa: numeroſa ſpatiis: oratio debet cum numero ingredi, quaſi cum certis ſpatiis.

Octo iſta Criticus obſervabit in ſingulis ideis. Nam ſingula genera, ſeu figuræ dicendi differunt octo iſtis, videl. ſententiis, tractatione, verbis, & cæteris: ut jam indicabimus.

Cap. 13. De perſpicuitate.

INdicavimus ſeptem illa, quæ conſtituunt ideam Demoſthenis, quæq; in qualibet oratione obſervare debet criticus: jam indicabimus, quomodo ſeptem illa differant octo, quas diximus, partibus.

In perſpicuitate igitur

1 Sunt *ſententiæ* rerum quotidianarum, & quę non ſolùm probantur in vulgus, verùm etiam ab omnibus intelliguntur.

2 *Methodus ſententiarum* eſt nuda. In puritate quidem ſententiæ ponuntur nudæ, & ſolitariæ, absq; aſſumtionibus: in perſpicuitate autem ponuntur unà cum diviſionibus, occupationibus brevibus, refutationibus, & illuſtrationibus.

3 *Verba* requiruntur nativa & ſermonis quotidiani, & tropi familiares.

4 *Verborum ornamenta erunt mediocria.* In puritate caſibus rectis maximè conſtabit oratio, non verborum inflexionibus obliquata: verba ſuperflua non erunt; nullæ trajectiones & inter-

positiones. In perspicuitate distinctiones debe esse factæ particulis adversantibus, interrogationes breves, brevesq; responsiones, modicis fac intervallis.

5 *Membra* erunt brevia, & incisis paria, ita singula plenam conficiant sententiam.

6.7.8. Postrema tria ex partibus octo, ita gnata sunt, ut ex sese conjunctim quasi nasci deantur: sic tamen ut differat aliud ab alio. *Compositio* itaq; non nimiùm diligens videri debet; vitando vocaliũ concursu, quæ sonum hiulcu faciunt, aut in deligendis verbis suavibus, ne sper sit verborum concursus. Jambica & choriaca structura, magis huic generi convenit, quàm dactylica, aut anapæstica, aut pæonica, & quicunque sunt magnorum numerorum: inprimis verò dichoraïca. Quanquam hæc ipsa jambica & choraïca aliis etiam debent numeris misceri, ut ne imprudentes in versus incidamus crebros. *Clausula* etiam talis erit, jambica & choraïca, ita *Numerus oratorius* videatur esse unius modi in perspicuitate.

Cap. 14. De Gravitate seu dignitate.

IN gravitate hæc octo membra ita habebunt. 1 *Sententiæ* sint de Deo, de rebus cœlestibus divinisque, aut quasi divinis, quarum magna authoritas & reverentia.

2 Sp

2 *Sententiarum tractationes* ſint affirmationes absque dubitatione & admirationes.

3 *Verba* ſint pura & perſpicua, ſonantia vocalibus longis & diphthongis, adeoque plena. Sed delectus in hisce habendus eſt, ne ad aſperitatem & acrimoniam deflectatur oratio à gravitate.

4 *Tractatio* erit perſpicua & majeſtatica, ut ita dicam.

5 *Membra brevia.* Graves enim res breviter, absque ullâ impeditione verborum atq; prolixitate pronuntiari volunt.

6. 7. 8. Compoſitionis, Clauſularum, & Numeri oratorii talis erit ratio. Pleraque ſint dactylica, anapæſtica & pæonica, intercurrentibus tamen etiam minutioribus pedibus, Jambo ſcil. & Trochæo, & Pyrrhichio, Spondæo tamen ſæpiùs.

Cap. 15. De aſperitate, & reliquis magnitudinis ſpeciebus.

EXpoſita eſt *prima magnitudinis oratoriæ ſpecies, videl. gravitas: ſequuntur reliquæ quinque, videl. aſperitas, acrimonia, ſplendor, vigor ſeu maturitas, & circumductio.*

In *aſperitate* 1. ſint *Sententiæ*, quæ reprehendant magiſtratus, & eorum caſtigent vitia, cum quadã dicendi libertate, non inimicâ, nec hoſtili, ſed modeſtâ, cum ſignificatione benivolentiæ. 2. *Tractatio* erit clara. Aſperitatem enim decet

sententiarum libertas absque occultatione, dissimulatione, aut lenitione. 3. *Verborum* tra latorum liberior est usus. 4. *Ornamenta* ver rum hîc erunt imperia. Nam in asperitate imp verborum plus prosunt, quàm optationes & bitationes. Ita tamen erunt comparata imp ista, ut habeant reprehensiones verbis fac 5. *Membra* erunt incisa, & singulis, quoties poteſt, absoluta verbis. 6. 7. 8. *Compositio*, Cl *sula*, & *Numerus oratorius* hoc habent pra ptum commune. Asper sit syllabarū concur hiulca vox, asperæ clausulæ & hiantes, sed va & consimilis numerus consectandus est, variè.

II. In acrimonia hęc omnia, quæ in asperit retinenda sunt; & eò magis, quò hæc figur vehementior. Sint igitur in acrimonia 1. Sen *tia* vituperantes, criminantes, territantes adv sus improbos & fontes. 2. *Tractatio* vehem tissima. 3. *Verba* possunt esse nova, tropica crebri superlativi. 4. *Ornamenta* verborum tal acres appellationes, & reprehensiones adversa orum, & personarum indicationes, quasi dig factæ. 5. *Membra* quæ sententiam incisis, & fieri potest, singulis verbis absolvunt. Incis enim & punctim congreditur cum adversa accusator. 6. 7. 8. *Compositio*, *Clausula*, & N *merus* eodem modo sese habebunt, ut in aspe tate, vehementiùs tamen & acriùs.

III. h

III. In splendore 1. sint *sententiæ* rerum præclarè gestarum ædificiorum, in quibus sit magnificentia, exercitus atque copiarum. 2. *Tractatio sententiarum* talis esto. Sint apertæ expositiones, nullę dubitationes: testificationes & authoritates multæ: nullæ in amplificando incisiones sententiarum. 3. *Verba* gravia, qualia fuerunt in gravitate, de qua suprà. 4. *Ornamenta verborum* talia. Sint remotiones cum suis contrariis asseverationibus, distinctiones temporum, locorum, rerum gestarum, novis adhibitis verborũ exordiis, dissolutiones sententiarum membris longioribus & ἀσυνδέτοις. 5. *Membra* aliquantulum prolixiora. 6. 7. 8. *Compositio, Clausula, & Numerus* ita habebunt. Sint magni verborum numeri, magnæ clausulæ, insistentes graviter pœonicis, dichoraïcis, molossis, & consimilibus structuris: ex quibus duobus ejusdem soni per totum ambitum efficiatur numerus oratorius. Compositio enim est, quæ currit per totum ambitum verborum, & eorum sonum, atq; cõitionem etiam syllabarum metitur. Clausulæ in fine expectantur. Et quod ex utroq; conficitur, numerus est oratorius; liber tamen & solutus ab omni lege versuum, quibus astricti sunt poëtę, & à quib. nõ possunt recedere.

IV. In vigore, seu maturitate 1. sint *sententiæ* fortes atq; viriles. 2. *Tractationes* easdem habet oratio matura, quas asperitas atq; acrimonia habent. 3. *Verba* aspera, acria, & translata. Ab iis

oratio matura non abhorret. Lacertos enim h
genus,& vires verborum poſtulat. 4 *Ornamen*
& lumina *verborum* eadem, quæ in acrimoni
ſplendore,accerſenda ſunt. 5. *Membra* eadẽ,qu
in acrimonia. 6. *Compoſitio* ſplendida. 7.8.Cla
ſula & Numeri,quales in ſplendore.

V. In *circumductione* 1. ſint *Sententiæ*,non ſi
gulæ, ſed copulatæ & condenſatæ. 2. *Tractu*
talis:orationis coagmentatę ſint rerum inverſi
nes,inciſiones,trajectiones ſententiarũ,appoſi
oratorum judicia de genere dicti & facti. 3. *Voca*
bula omnis generis. Nam oratio circumducta
coagmentata omne genus vocabulorũ accipit,
verbis in eodẽ ambitu utitur idem ſignificant
4. *Ornamenta verborũ* ſint ordinũ diſtinctiones
converſiones,quę in particulis ſunt poſitę,rerum
æſtimationes,ſententiæ obliquatæ caſib. & tem
poribus,complexione plurium comparationum
transpoſitiones & trajectiones variæ. 5. *Membr*
omnis generis. Nam circumductio requirit vari
inciſa & membra: & ultra quatuor membra fr
quenter, & crebrò ambitus verborũ extenditur
adhibitâ tamen varietate:ne aut ſpiritus Orato
deficiat,aut aures eorũ,qui audiunt,ſimilitudin
comprehenſionum orationem unà cum Orator
repudient. 6.7.8.*Cõpoſitio*, *Clauſulæ*, *& Numeri*
erunt multiplices. Omnium enim figurarum va
rietatem omnem circumducta & coagmentata
oratio libenter recipit,ut res,ut perſonę,ut cęter
rerum

rerum attributa, quas circumstantias dicunt, videbuntur postulare.

Cap. 16. De reliquis quinq; figuris.

SAtis *de magnitudine: sequitur tertia figura, videl. venustas*, ubi

1. *Sententiæ* erunt lepidæ & elegantes, imò variæ. Omnes enim superiores sententiæ in hanc cadunt. 2. De *Tractatione* idem est judicium. 3. *Verba* puritatis & claritatis conquirenda sunt, præsertim quæ paucarum sunt syllabarum, ut apparet in Isocrate, qui scriptor est concinnus, atque venustus. 4. *Ornamenta* omnia, quæ concinnitatem habent, ut paronomasia, polyptoton &c. 5. *Membra* ita perpetuari debent, ut aliud ex alio videatur defluere, absque ullâ sententiæ impeditione. 6. *Compositio* accurata. 7. Accuratæ *Clausulæ*. 8. *Numerus* accuratus: ut ne procul à versibus recedat: sed tamen ut hæc omnia læta magis sint, quàm incedentia cũ gravitate. Magnâ itaque hîc opus est diligentia: unde & hæc figura dicitur ἐπιμέλεια, q. d. *accurata oratio* & pulchra.

Quarta figura est *celeritas*, in quâ 1. *Sententiæ* breves, sed vel acres, vel vehementes. 2. *Tractatio*, qualis in simplicitate. 3. *Verba* syllabis curta, non prolixa. 4. *Ornamenta* verborum erunt breves interpositiones, reversiones, incisa dissoluta, redditiones. 5. *Membra* & incisa brevia. Quanquam in longioribus periodis, & membris

prolixioribus etiam ipsa compositio celeritatem facit. *6. Compositio* non hiulca. Trochaici si verborum conveniunt, sed aliis etiam interpositis, verùm ita, ut primas teneant trochæi, t Jambi, & Pyrrhichii: sed vitandi ditrochæ. *7. Clausulæ* erunt quoque tales. *8.* Existis dubus *numerus* conficietur.

Quinta figura est *Mos*, ἦθος Hermogeni, cujus quatuor veluti recensentur partes, ἁφέλεια *simplicitas*, γλυκύτης, *suavitas*, ἐπιείκεια, *aquitas* ὀριμύτης, *acumen*.

In *simplicitate* 1. *Sententiæ* erunt hominum minimè malorum cogitata, dicta, facta. 2. *Tractatio* eadem, quæ in perspicuitate. 3. *Verba* propria & translata, si moribus conveniant, vel puerorum, vel senum, vel rusticanorum hominum exprimendis. 4. *Ornamenta* eadem, quæ perspicuitatis. 5. *Membra* perspicuitatis. Simplicium enim pura esse debet, & nullis occultata nubeculis sententiarum. 6. 7. 8. *Compositio*, *Clausulæ* & *Numerus*, ut in perspicuitate.

In *suavitate* 1. *Sententiæ* sint rerum lætarum, jucundarum, & quæ delectent sensus, & animis oculorum. 2. *Tractatio* ea, quæ in perspicuitate. 3. *Verba* etiam deliguntur poëtica, & suavis sententiæ poëticis verbis sunt conformandæ. 4. *Ornamenta* eadem, quæ perspicuitatis & venustatis. 5. *Membra* etiam eadem quæ in perspicuitate & venustate. 6. 7. 8. *Compositio*, *Clausulæ* & *Nu-*

& *Numerus* ſuaves. Suavitas requirit graves verborum coitiones absq; hiatu atque aſperitate; & acumen ſimplicitatis amat.

In *æquitate* 1. *Sententiæ* ſint conſilia hominis juſti, & pacis atq; otii amantis. 2. *Tractatio* talis. Æquitatis eſt, extenuare ſuas laudes, etiamſi magnæ ſint, & acria mollire, & de ſuo jure remittere atq; adverſario condonare; rogare quod poſtulari poſſit, hęſitare etiam, atque dubitare; non affirmare, non aſſeverare: quæ acria ſunt & gravia præterire, etiam quæ objici, & reprehendi, & crimini verti poterant. Et quæ puræ orationis ſunt, ornamenta ſententiarum, eadem hujus figuræ ſunt. 3. *Verba* & 4. *Ornamenta* verborum, quæ in perſpicuitate. Ejus enim æquitas contenta eſt veſtitu ſimplici, & aperto. 5. *Membra* eadem, quæ in ſimplicitate. 6. 7. 8. *Compoſitio*, *Clauſulæ* & *Numerus*, ut in venuſtate.

In *acumine* 1. *Sententiæ* acutæ. 2. *Tractatio*, ut in perſpicuitate. 3. *Verba*, quæ acumen præferunt ingenii, & ſingularem aliquam habent ſignificationem, aut alluſionem, aut quod eruditum, atque literatum eſt. 4. *Ornamenta*, qualia in accuratâ oratione. 5. *Membra*, qualia in ſimplicitate. 6. 7. 8. *Compoſitio*, *Clauſulæ* & *Numeri* ut in venuſtate ſive accuratâ oratione.

Sexta figura eſt *veritas*, ubi 1. *Sententiæ* tales, quæ dolores faciant probabiles, & animorum commotiones non ſimulatas. 2. *Tractatio* talis,

Veri ſermonis, & orationis ab animi ſenſibus profectæ ratio conſiſtit in conquerendo, optando, ſupplicãdo, deteſtando, vovendo, devovendo, teſtificando, adjurando, indignando, miſerando, fidendo, diffidendo, occupando, refutando, atq; hæc omnia ſubitò & quaſi de improviſo, in ordine rerum invertẽdo, & in omittendo res neceſſarias. 3. *Verba* aſperitatis & acrimoniæ uſurpare convenit. 4. *Ornamenta* & inſignia talia. Verba ſunt conformanda concluſionum modis, item approbationibus adverſariorum, interrogationibus, quæ refutari non queant, indicationib. perſonarum, dubitationibus, præciſionibus, adjudicationibus. 5. *Membra*, qualia in acrimonia. 6. 7. 8. *Compoſitio, Clauſula & Numerus*, ut in acrimoniâ: ut vox ipſa animi ſenſum non indicet ſolùm, verum etiam exprimat.

Septima & ultima figura eſt δεινότης, *decorum*, ubi ſententiæ, earumque tractationes, verba, earumque ornamenta, membra, compoſitio, clauſulæ & numerus oratorius adhibentur pro ratione ſeptem circumſtantiarum, quas vocant rerum attributa. Hoc enim eſt omnibus illis ſuperioribus congruenter uti, & à decori præcepti non recedere.

Cap. 17. Cicero.

ABſoluta eſt critica methodica & generalis: ſequitur critica hiſtorica & ſpecialis, qua oſten-

dit

dit quinam ſint perfecti oratores Latini, in quibus quatuor modi, tria genera, ſeptem figuræ dicendi, quatuor characteres, & octo membra, hactenus enarrata concurrant: adeoq; agit de exemplo.

Exemplum voco authorem, in quo iſta omnia concurrunt, quemque imitari oportet, & ejus orationem.

Exemplum illud eſt vel perpetuum, vel acerſitum.

Exemplum perpetuum eſt, quod eſt neceſſarium, quod accuratiſſimum.

Tale apud Græcos eſt Demoſthenes, apud Latinos Cicero: uti apud pictores Apelles. Optimum enim quemque imitandum eſſe cenſemus. Optimus autem dicitur duobus modis. *Primò* dicitur cum comparatione reliquorum oratorum, qui inter cæteros ſit optimus, & dicitur talis κατ' ἐξοχὴν, ἐξαιρέτως. Sic optimum dicimus apud Latinos, Ciceronem, absque ullâ etiam hæſitatione, absque ullâ controverſiâ: apud Græcos Demoſthenem. *Deinde* dicitur optimus conſideratione noſtri, æſtimatione noſtri genii, noſtri ingenii, noſtrarum virium. Et tum optimus dicetur orator, qui noſtræ naturæ, noſtris viribus eſt convenientiſſimus. Ita Saluſtius inter hiſtoricos, quibusdam placet: quibusdam magis placet Livius: alii magis placet Suetonius, aliis Cornelius Tacitus. Etiam Cicero hoc modo eſt optimus; ut qui placeat optimis quibusque Latinis. Primum

genus ejusmodi eſt, ut aliquando videatur δεύτερον μίμησιν, ſcilicet imitari Ciceronem & Demoſthenem, & per illa loca prærupta ingredi, quibus hi duo oratores præiverunt. Quæritur igitur, an aliquis, quem non poſſis imitari, & aliqui, ſit imitandus? quem non poſſis adæquare. Certè is omnino imitandus eſt. Etſi non poſſis eum antevertere, & ſemper antecedat, ut ſemper longis paſſibus tuas vires præcurrat & ſuperet: etiamſi non poſſis æqualiter paribus gradibus & paſſibus incedere aut procurrere: tamen eſt laudabile eum proximè vel aliqui, vel proximè ſequi, aut ſecundo loco ſubſequi, etiam tertiò imitari. De delectu igitur non eſt diu disceptandum. Fuit vitioſum genus hominum & ſuperioribus ætatibus, & noſtrâ memoriâ eſt: quorum aliis placuit Plinius, aliis Saluſtius, aliis Livius, neglecto Cicerone. At major eruditorum pars hoc credit, hoc ſtatuunt, hoc monent, ad hoc etiam hortantur, ut conſtituamus optima exempla, Ciceronis apud Latinos, apud Græcos Demoſthenis: idque ob quatuor cauſas: 1. Propter Ciceronis ingenium. Pars enim magna hujus oratoris librorum, genium habuerunt, ut Martialis loquitur. Interierunt orationes Carbonis, Cotonis, Sulpitii, Cottæ, ſolius Ciceronis remanſerunt. Apud Senecam habemus quidem laudem Calvitii: eſt quidem oratio illa Latina, ſed non foren-

forenſis. Apud Livium ſunt conciones, ſed conciones hiſtoricæ, non oratoriæ; conciones ſcriptæ lectoribus, & bibliothecis, & ſtudiorum umbraculis, non autem habitæ in foro & judicio, in curiâ & ſenatu, aut etiam in exercitu. Aliter enim habitæ ſunt conciones ab imperatoribus, cohortationes militares, & aliter conſcriptæ ab ipſis hiſtoricis. Apud Plinium habemus Panegyricum accuratè compoſitum, non infiteor: ſed ſoli dictum Trajano, titulus ipſe indicat, non populo. Eſt ſumma in illo Panegyrico concinnitas: maxima eſt captata ſuavitas: eſt etiam ornatus atque copia: ſed ornatus nimis preſſus, tanquam lacte caſeus nimiùm preſſus. Non eſt ornatus popularis. Eſt preſſa & anguſta oratio, non autem illa fuſa & dilatata, qualem requirunt aures populi. Multis itaq; modis ſuperat ipſe Cicero Livium & Plinium. Hæc una cauſa eſt. 2. Altera cauſa eſt propter varietatem. Cicero enim non ſolùm dixit, ſed etiam ſcripſit. Non ſolùm dixit, id eſt, orationes habuit ad populum, ad ſenatum, quas editas habemus: ſed etiam ſcripſit *varia*; videl. *Dialectica & Rhetorica*, ut ſunt Topica, libri de Inventione, partitiones oratoriæ, libri tres de oratore, liber de claris oratoribus, liber unus de oratore, Rhetoricorum libri quatuor, liber de optimo oratorum genere: *deinde Oratoria, & Epiſtolica; tum dogmatica, eaq; vel Theologica*, ut ſunt libri de naturâ deorum, & de divinatione;

vel *Philoſophica*, quæ vel *Ethica*, ut Officia, Tuſculanæ quæſtiones, de finibus bonorum & malorum, de amicitiâ, paradoxa; vel *politica*, ut ſomnium Scipionis, quæſtiones Academicæ. Propter varietatem igitur Cicero cæteris etiam eſt præponendus. Livii enim hiſtoria per omnia eſt uniusmodi. Saluſtius etiam talis. Plinius, præter Panegyricum, ſcripſit ſolùm epiſtolas familiares, quæ tamen ſunt minùs puræ, quàm Ciceronis: tametſi ſint ab illo accuratiſſimè ſcriptæ. Quid? Cicero autem non uniusmodi eſt, ne quidem in orationibus. Harum enim aliæ aliis ſunt remiſſiores & graviores; imò in ſingulis orationibus non unus ſemper eſt ſermo, non ſemper idem ſonus. Aliquando enim exurgit grandiùs, aliquando repit humiliùs, aliquando medium tenet, ita ut in ipſis orationibus etiam ſit illa ποικιλία, de quâ antè præcepimus de variis dicendi figuris. Propter hanc igitur cauſam, ſcilicet varietatem, Cicero maximè eſt deligendus. Nam in Philoſophicis monumentis exemplum nobis conſtituit quod imitemur, in explicandâ philoſophiâ, in explicando Ariſtotele, Platone, & cæteris philoſophis. 3. Eſt etiam tertia cauſa. Solus Cicero oſtendit, quando & quomodo Græci ſint imitandi, quando poſſimus homines in alienâ linguâ æmulari. Quid tàm diverſum eſt, quàm ſermo Latinus, & ſermo Græcus? Quanta diſſimilitudo eſt, inter mores & inſtituta Athenienſium & Romano-

manorum? Longè alia fuit constitutio judiciorum, alia forma concionum, alii mores Areopagitarum, in Areopago, in campo Martio, alii mores Romæ, in rostris, in curiâ, & in senatu, & tamen in hâc varietate, Cicero invenit similitudinem, ut Demosthenis videatur in aliquibus locis esse par, in aliquibus copiosior & ornatior, & ita imitatur Demosthenem, ut non appareat, nisi eruditis, nisi peritis, non solùm utriusq; linguæ, sed institutis præceptis Rhetorum, & Dialecticorum. 4. Et nisi hæ tres causæ essent, tamen quartâ causâ contenti esse deberemus: quia palma eloquentię huic soli tributa est, nõ à nostri seculi hominibus solùm, sed etiam à priscæ ætatis scriptoribus. Sua ætas dedit ei testimonium eloquentiæ perfectæ & excellentis: ætas consulum, etiam insequens ætas Imperatorũ dedit ei testimonium, & laudem eloquentiæ excellentis. Optimus itaque est Cicero. Sed non solus optimus. Est etiam Demosthenes optimus. Non igitur imitemur Romanos & Athenienses; apud quos alii Ciceronem magis, quàm Hortensium: alii M. Antonium magis, quàm L. Crassum: alii Demosthenem magis, quàm Æschinem: alii magis Æschinem quàm Lysiam; alii Isocratem magis quàm Lysiam imitari conati sunt. Nos Ciceronem & Demosthenem habeamus pro perfectâ ideâ, pro exemplo accuratissimo. Hi sunt summi oratores. Si hi summi sunt oratores, eorum genera di-

cendi etiam ſumma ſint oportet. Sunt igitur duo dicendi genera præſtantiſſima: unùm apud Græcos, Demoſthenis dicendi genus atque character. Alterum Ciceronianum, apud Latinos. In quorum uno, ſi quis erit exercitatus, is vim utriusque erit adeptus. Nam Cicero ſine controverſiâ Demoſthenem eſt imitatus, tamen ſi veritus eſt illud profiteri. Qui igitur novit Ciceronis dicendi genus, cognovit propè univerſum dicendi genus Demoſthenis. Quod nam verò eſt dicendi genus Ciceronis? Id, ſtatuo, quod æſtimatur officio oratoris. Quale officium oratoris, tale etiam dicendi genus; & quale officium oratoris perfecti atq; ſummi, tale dicendi genus eſt Ciceronianum. Oratoris autem officium, ut ſuprà indicavimus è Cicerone, eſt de rebus magnis dicere graviter, de rebus parvis dicere preſsè, de rebus intermediis temperatè. Tria itaque ſunt dicendi genera, grave, preſſum, & temperatum, ut ſuprà tradidimus. Genus autem dicendi Ciceronis eſt *σύνθετον*, *compoſitum* ex tribus generibus. *Duplex* autem, quantum ad iſta dicendi genera attinet, *apud Ciceronem eſt comparatio. Aut enim tota oratio confertur cum alterâ oratione totâ*; ut Quintiana cum Cluentianâ, tota Miloniana cum totâ Ligarianâ. Dicimus igitur, Milonianam eſſe graviorem, Ligarianam autem ſummiſſiorem. Sic gravis eſt oratio Demoſthenis *περὶ στεφάνου*

pro

pro coronâ, acuta autem eſt pro lege Leptinæ. *Altera comparatio eſt partium in unaquaque oratione totâ.* Sic Narrationes ſunt remiſſæ, amplificationes ſunt graves, Exordia ſunt intermedia. Nulla enim tàm gravis & grandis eſt oratio, quæ non habeat ſummiſſionem & mediocritatem. Sic nulla tam humilis & teres, ut non aliquando augeſcat, ut non aliquando perveniat ad mediocritatem, aliquando ad gravitatem aſſurgat. Sicuti autem Ciceronis dicendi genus eſt compoſitum: ita & Demoſthenis, Grave, Summiſſum, atque Mediocre. Hæc tria oportet habere quatuor modos dicendi, tanquam perpetuas virtutes. Oportet enim omnia illa tria eſſe pura, perſpicua, ornata & decora. Hæc quatuor perpetuò retinenda ſunt in omni oratione, in omnibus partibus orationis, in omnibus periodis, & periodorum membris, in ſingulis membrorum inciſis, imò in ſingulis verbis: puritas, inquam, perſpicuitas, ornatus, & decorum. Hæc oportet repetere altiùs è ſuperioribus. Nam qui vult Ciceronis adipiſci facultatem dicendi, & Ciceronianus videri, nominari, & eſſe; eum ſcire oportet, quæ fuerit dicendi figura, ipſius orationis, τὴν ἰδέαν τοῦ λόγου. Quoniam enim imitatio eſt alicujus exempli imitatio, oportet ſcire quodnam ſit illud exemplum. Id exemplum eſt τὸ εἶδος τοῦ λόγου, ἡ ἰδέα, χαρακτὴρ

λόγου. Dicendi autem idéa seu forma Ciceronis & Demosthenis est tripartita, confecta ex tribus dicendi generibus. Una ratio, ut diximus, sita est in subtilitate, quâ utimur in docendo, in refellendo, in rationibus nostris concludendis. Alter modus situs est in gravitate, in dignitate, quæ vocatur ἀξίωμα, amplum dicendi genus. Tertius modus est temperatus, inter duos illos intermedius. Triplicem istam vim Cicero in Demosthene vidit. Primùm enim observavit in eo probabilitatem & fidem in docendo. Deinde in animis conciliandis observavit voluptatem & delectationem. Denique in animis flectendis viditmotum. Ita patet, triplex dicendi genus triplicem habere vim atque facultatem. Primi namque generis est docere, ut in Narratione & Confirmatione: secundi generis est flectere & commovere, ut in Epilogis. Tertium genus est conciliare, id est, delectare, ut in Exordiis. Mota enim oratio dirigitur ad voluptatem, & suavitatem. Nihil enim est virtute suavius, nihil amabilius. Vidit hæc tria in Demosthene Cicero. Animadvertit, Demosthenem esse admirabilem in docendo, in delectando, in flectendo: & perpendit, docere esse necessitatis, & instar panis quotidiani, sine quo vita hominis sustentari non potest, tanquam cibi & potus: & conciliare esse voluptatis tanquam salis, tanquam mellis, tanquam moderati actoris: flectere autem esse boni

noratium, esse dignitatis, victoriæ, triumphi, virium, atq; armorum. Hanc tripartitam vim Demosthenis observavit, & hanc vim in dicendo est assequutus, nobisque posteris suis reliquit. Quapropter in orationibus Ciceronis hæc tria diligenter sunt observanda. Nulla enim est oratio, quæ non habeat ἄνεσιν, id est, remissionem à summo, & quæ non habeat ἔπαρσιν καὶ ἔκτασιν, id est, quasi elationem, & intensionem ultra mediocritatem, & denique ipsam mediocritatem. Sed hæc tria ita semper observanda, ut consideretur, singula illa in se continere quatuor dicendi modos, puritatem, perspicuitatem, ornatum atq; decorum. Hæc est ἰδέα λόγου. Si malis, repete quæ ex Hermogene supra à nobis sunt disputata. Hermogenes enim eloquentiæ idéam ostendit in Demosthene, & præcepta tradidit de universâ eloquentiæ ideâ, quam in septem rebus collocavit. Septem illa Cicero ante Hermogenem observavit in Demosthene. Sicut enim Virgilius Homerum, Horatius Pindarum imitari conatus est, ita Cicero Demosthenem. Exemplum illustre est in duobus illis exordiis Demosthenis pro Ctesiphonte, seu pro coronâ, & Ciceronis in oratione Quintianâ. *Sturm. de imit. l. 3. c. 4.*

Tripartita autem illa facultas, videlicet docere, delectare & flectere, habet hanc partitionem; quòd tria illa dicendi genera, subtile, intermedium, & grave, inveniantur vel pura vel

mixta. Pura, id est, solitaria, & simplicia. Sic quædam orationes sunt totæ subtiles, ut pro Cæcinnâ; quædam totæ sunt graves, ut pro Milone; quædam totæ sunt mediocres, ut pro lege Maniliâ. Sed tamen nulla oratio apud Ciceronem est tam subtilis, quæ non alicubi urgat, ut paulò antè indicavimus, quæque non alicubi habeat aliquam amplificatiunculam, aliquam comparationem, aliquam illuminationem; ita ut etiam in puris illis orationibus varietas. Non solùm orationes mixtæ sunt variæ, sed varietas etiam est in subtilitate, ut apparet in oratione pro Cæcinnâ, & in oratione contra legem Leptinæ. Hîc autem à potiori denominatio. Ad extremum in orationibus Ciceronis oportet criticum observare, quas habuerit juvenis, quas in maturâ ætate. His observatis, criticus Ciceronem habebit pro regulâ & cynosurâ, ad quam exigat omnes omnino orationes alias. Et sic concludo hoc de Cicerone caput, cujus hæc est methodus:

Ostenditur
- Ciceronem esse legendum ob quatuor causas.
- Modus Lectionis. Oportet scire
  - Idéam cujus
    - Tria genera.
    - Quatuor modi.
  - Ætatem Ciceronis.

Cap. 18. De variis authoribus Latinis.

SAtis de exemplo perpetuo, deinceps de accersito.

Exemplum accersitum potest esse quilibet Latinus orator bonus prater vel juxta Ciceronem.

Aliud est perpetuò imitari, aliud aliquando. Cicero est perpetuò imitandus, reliqui assumuntur. Aliud itaq; est propositum exemplum, aliud assumtum. Oportet igitur sequi genus dicendi alicujus oratoris, cujus cupimus esse quàm simillimi, si pares esse non possumus. Exemplorum sunt tria genera, ut docet *Sturm. de imit. l. 2. c. 2.* Unum est inventorum, qui adjuti naturæ beneficio absque arte & doctrinâ extiterunt diserti, & eloquentes; ut fuit Homerus, qui ingenio & industriâ absque exemplo Odysseam & Iliada confecit. Hinc Homerus dicitur esse fons & origo omnium poëtarum. Alterum genus est imitatorum. Non enim solùm Homerus imitandus, sed etiam is qui Homerum est insecutus. Exempla præclara habet Homerus, sed & Pindarus habet præclara exempla, qui Homerum in aliquibus sequitur. Et propterea non solùm primi inventores imitandi sunt, sed etiam primi imitatores. Tertium genus exemplorum est secundatiorum imitatorum: qui secundo loco insecuti sunt. Nam prima παραδείγματα, *exempla*,

sunt διδάσκοντες: secunda τοῦ μιμητοῦ: tertia exempla sunt approbatorum, qui imitatorem sequuntur atque æmulantur. Secundarium imitatorem vocabimus ἐπιζηλωτήν. Sic v.g. Homerus docuit exemplo Chrysæ sacerdotis Apollinis, quomodo aliquid sit postulandum, quomodo animus sit ad metum & misericordiam flectendus. Hunc locum insecutus est Demosthenes, atq; etiam Cicero. Homerus fuit verus doctor ἀξιώσεως, *rogationis:* Demosthenes fuit imitator: sed Cicero fuit ἐπιζηλωτὴς, secundarius imitator atque approbator. Pericles fortassis inter oratores fuit διδάσκαλος, composuit exemplа, & naturâ atq; usu magis valuit, quàm arte. Demosthenes autem fuit imitator, qui imitatus est fulmina & tonitrua Periclis. Sed hic ipse Demosthenes habuit imitatores secundarios, qui post eum venerunt, sophistas. Item Pericles docuit Rhetores; Isocrates imitatus est Periclem, Demosthenes Isocratem ἐπιζήλωσε. Sic Demosthenem ipse Cicero est imitatus. Propterea Ciceronem nemo potest imitari, nisi eum intelligat, ejus ornamenta observet, qui ipse Cicero est insecutus, cui Cicero voluit esse similis, vel par, vel etiam superior. Optimè igitur faciet orator, qui collationem Ciceronis cum Demosthene instituit. Cæterùm è superioribus patet, optimum esse imitandum.

Optimus certè imitandus est, non autem solus neque semper: sed etiam cæteri sunt adhibendi, & id pro-

id propter necessitatem. Nemo enim tam est optimus, neque quisquam optimus tam fuit industrius, ut omnia scribendo & dicendo sit persecutus. Quæ in Cicerone non sunt, aliunde sunt conquirenda.

Quando igitur decurrendum est ad alios?

Primùm, cùm materia nos cogit, cùm argumentum susceptum nos compellit. Si historiæ enim scribendæ essent, cur non decurrendum ad Livium, si is mihi placeret, aut si is aliquid haberet? Aut quamobrem non ad Salustium, qui Livio videtur & purior, & densior? Si scribendum sit de agriculturâ, & de re aliquâ naturæ, cur non accersam Catonem? Cur non Varronem? Cur non etiam in aliquibus Columellam? Sic cùm materia cogit, oportet aliquando aliud exemplum accersere: unde & accersitum nominavimus. *Deinde* etiam cùm genus orationis imitandum est. Si mihi scribenda sit laus alicujus, certè non solum insistam vestigiis Ciceronis, quæ ipse impressit in oratione pro lege Maniliâ, ubi ornat Pompejum, laudatque mirificè: sed etiam confugiam ad Plinium. Afferrem inde etiam quod utile esset ad scriptionem. Aliud genus orationis requiritur, cùm ad populum habetur sermo, aliud cùm ad Cæsarem. *Tertium* est persona, ad quam etiam applicanda est oratio. Personarum natura & voluntas cogit nos sæpè stilum mutare. Alio enim orationis genere utimur ad doctos, qui delectan-

tur ſententiis acutis,& reconditis: aliter ad vulgus:aliter ad ignavos. Docto ſatis eſt,rem indicare,ignavo oportet dilatare. Iccirco Ciceronis utendum eſt verbis,dum ſuppetunt. Si non ſuppetunt,currendum eſt ad C. Cęſarem, Varronem, Lucretium,ſi neceſſitas cogit,etiam ad Plinium. Et quidem C. Cęſaris laus in commentariis ſumma eſt. Eſt enim in his exemplum Latinæ orationis. Eſt admiranda Latinitas in illis commentariis,de bello Gallico,& civili. *Sturm. de imit. l. 1. c. 1.* Ad eundem modum apud Græcos Demoſthenem addere oportet alios. Nam apud Thucydidem ſunt orationes puræ, acutæ,denſæ ſententiis,& etiam ſententiis graves orationes Athenienſium, Lacedæmoniorum, & Peloponneſiorum, multorum legatorum,ducum,& imperatorum. Sed aliud eſt genus dicendi hiſtoricum, aliud eſt genus dicendi oratorium. Iſocrates apud Græcos præclarus eſt orator,& in ſuo genere perfectus: ſummus:ſed illius orationes non ſunt habitæ,& actæ,ſed ſcriptæ ſunt legentibus,nō audientibus. Extant etiā quædam Lyſiæ orationes,& aliquorum aliorum Græcorū,quas pono in eodem genere:ſed tamē deteriores ſunt orationibus Iſocratis. Apud Latinos de Livio idem ſentio,quod de Thucydide: de Plinii Panegyrico,idem quod de Iſocrate. Utiles ſunt orationes,& in ſuo genere propè perfectę:ſed ita ut potius videantur ſcriptæ quàm habitæ. Aliud enim orationis genus requirit ſo-

rit forum atq; ſenatus: aliud genus dicendi Muſéum & Bibliotheca. Lectori ſatis eſt, rem unam ſemel dici, ſed populo, & judici præſertim non omnino docto, nõ eſt ſatis. Et aures & mentes populi requirunt commorationes in eâdem re. Legantur etiam declamationes Quintiliani. Legantur hi oratores, ſed cũ ratione & judicio, & deinde loco ſecundatio, non primo. Primum locum habet Demoſthenes: Secundum Iſocrates: Tertium Lyſias & Hyperides: Quartum Thucydides. Sic apud Latinos primum locum Cicero, ſecundum Plinii Panegyricus teneat: tertium Livius: quartum declamationes Quintiliani. Sed & Patres legendi, ut vocant, Eccleſiaſtici. Lactantius enim purus eſt: purus ipſe Hieronymus, præſertim adoleſcens, & in virili ætate. Cyprianus verè floridus eſt. Magis videtur rhetoricari, quàm θεολογίζειν. Gregorius Nazianzenus & Chryſoſtomus apud Græcos ornati ſunt authores. Ad extremum legantur recentiorum orationes, ſed ita, ut Cicero, Ciceronisq; idea ſit amuſſis, cynoſura, regula denique Polycleti, ad quam exigantur ſingulæ periodi, imò ſingula verba.

Satis de Criticâ oratoriâ è diſertiſſimo Sturmio, cujus vitulâ aravimus, ita tamen, ut primi criticam oratoriam hâc veſtitam methodo adornaverimus, & jam aliquo bono publico (voveo certè) foras demus. Multa in hanc ſententiam

habet decus noſtrum, *Cl. Chriſtianus Berma-nus, in ſuâ manuductione ad linguam Latinam*. Nos non debuimus ſingula minutatim perſtrin-gere in hoc compendio. Plenè tamen, niſi vehe-menter fallor, criticum informavimus; ut ju-demum verè poſſit obeliſco ſuo critico coer-cere pueriles, ineptas, ſtolidas, ſtentoreas, mul-torum recentiorum græculorum an græcu-lorum oratiunculas; quos jure civitatis Roma-næ, vel potiùs civium Romanorum ne ipſe qui-dem Pontifex Romanus unquam donare pote-rit. Uſque adeò ſcilicet, eheu! ſtudium eloquen-tiæ Romanæ hodie

Multis pro vili, ſub pedibuſq; jacet.

FINIS LIBRI QUINTI.



LIBE

LIBER SEXTUS,

De RHETORICA ECCLESIASTICA.

Cap. 1. Præcognita Oratoriæ Ecclesiasticæ.

TRadita est Oratoria specialis dogmatica, non sacra in methodo eloquentiæ, & criticâ: sequitur oratoria sacra, quæ venit nomine Rhetoricæ Ecclesiasticæ.

De Rhetoricâ Ecclesiasticâ duæ quæstiones in hoc veluti limine expediendę sunt: An sit, & quomodo tradenda sit? Nullam esse Rhetoricam Ecclesiasticã, multi docent, ducti an seducti duobus argumentis. 1. Quia concionari est opus Spiritus S. Ille itaque concionatori suggestum conscenſuro subministrat res necessarias. 2. Q. populus, ad quem verba facienda sunt, non curat artificium concionis. Ad 1. Respondeo, istam ratiunculam è Scholâ Anabaptistarum profectam, esse solutione indignam. Deus n. utitur mediis linguarum & bonarum literarum. Nec verò nos habemus specialem promissionem, vel extraordinariam & immediatam vocationem, ut Apostoli. Ad 2. Posito, populum amare docendi dicendiq; genus populare, tamen non sequitur, Rhetoricæ sacræ præ-

cepta non esse necessaria. Nam orator Eccles
sticus non potest tueri titulum suum, si præc
pta artis suæ ignoret. Quid? Auditores percipia
commodum ex artificiosâ concione, etiam si a
tificium non sentiant, nõ observent methodu
Ea enim methodici luminis vis est, tantus fulg
ut oculos non observantium perstringat. Ex
efficitur, esse aliquam Rhetoricã Ecclesiastica
Si itaq; est, quomodo tradenda? Tradenda est
oratore. Præcepta n. oratoria sunt, exempla Th
logica. Oportet autem prudenter hîc distingu
tria, Rhetoricam, Biographiam, & Politiam E
clesiasticam. Nos Rhetoricam Ecclesiastica
meditamur, eamq; conjungimus, vel potiùs sub
jungimus oratoriæ non-sacræ. Methodus n. qua
accuratissima, aut certè accuratissimæ prom
hæc videtur: *Oratoria est communis, vel speci*
Et hæc Epistolica, vel Dogmatica. Et hæc vel
sacra, vel sacra. Non-sacram præmisimus ceu
neraliorẽ. Multa enim concionator habet co
munia cum oratore, sic dicto κατ' ἐξοχὴν: ut di
sè tradit *August. l. 4. de doctrin. Christianâ.* Qu
que enim oratoris officia, Inventio, Disposi
Elocutio, Memoria, Pronunciatio, etiam conci
natoris sunt officia. Quinetiam tria hæc docer
delectare, flectere: similiter tria dicendi genera
sublime, humile, mediocre: præterea omne v
riandæ & ornandæ orationis per tropos & figur
artificium peræquè ad concionatorem atque
orato

oratorem pertinet. Qui itaq; in Rhetorum ſcholis exercitatus fuerit, maximâ cum laude, majori cum fructu defungetur concionatoris munere. Exemplo ſint Cyprianus, Chryſoſtomus, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, & alii, qui inſtrumentis oratoriæ facultatis maximè adjuti in concionandi artificio facilè excelluerunt. At, inquis, concionari eſt Theologorum. Ergo & cõcionandi artem tradere eorundem erit. At, inquam ego, Theologus quâ Theologus non tradit iſta artis dicendi in Eccleſiâ præcepta, ſed id facit Orator, adjutus partim Logicis, partim Theologicis obſervationibus. Hîc itaque oportet videre, ut à potiori fiat denominatio. Jam verò formale in diſciplinis dignius eſt materiali. Formale in oratoriâ Eccleſiaſticâ eſt Philoſophicum: materiale Theologicum. Formale voco ipſam methodum, & modum conſiderandi; materiale, res ipſas, ſeu rem conſideratam. His præmiſſis ordiamur à definitione.

Rhetorica Eccleſiaſtica eſt ars modũ perſuadendi Eccleſiæ Chriſti res ad ſalutem neceſſarias tradens.

Ea traditur per præcognita & præcepta.

Præcognita hujus artis (juxta methodi analyticæ, quam obſervant ſapientes in tradendis prudentiis & artibus) *agunt de fine, & ſubjecto.*

Finis, qui in ſubjectũ introduci debet, eſt perſuaſio.

Perſuaſio eſt, quâ animi auditorum doctrinâ, delectatione, & motu alterantur.

Concio est oratio persuasoria. Omnis autem oratio persuasoria ita comparata & attemperata esse debet, ut auditorũ animi alterentur. Adeoque illa oratoria est, quâ à sceleribus, ab iracundiâ, ab avaritiâ auditores ad virtutem, ad lenitatem, ad liberalitatem flectuntur. Itaq; finis oratoris Ecclesiastici est, & esse debet, ut *perspicuè doceat, jucundè delectet, & acriter flectat auditores.* Tripartitam istam vim in se complectitur persuasio. Hâc de re graviter, more suo, *Augustin. l. 4. de doctr. Christ. c. 3.* & valde eleganter *c. 11. Docere necessitatis est*, inquit, *delectare suavitatis, flectere victoriæ.* Docendo fit, ut audiatur concionator intelligenter, delectando, libenter, flectendo, obedienter. Nihil hîc dicimus de fine ultimato, ut vocant, qui est gloria Dei, nihil de fine subordinato, qui est ædificatio Ecclesiæ. Orator enim Ecclesiasticus hunc geminum finem spectare in omnibus suis actionibus tenetur, quatenus consideratur communiter, ut Christianus. Persuasionem autem intendere & præstituere debet, qua talis Christianus singulariter.

Subjectum, in quod finis iste introduci debet, est vel recipiens, vel occupans.

Subjectum recipiens est orator seu Rhetor Ecclesiasticus; qui vocatur concionator. Itaque

Concionator est orator Ecclesiasticus ad res sacras Ecclesiæ persuadendum intentus. Persuadet autem *ministerialiter*, ut loquuntur in Scholis bar-

lis barbari noſtri, Spiritus ſanctus *auctoritativè*. Hinc non inſcitè non-nemo ita definivit concionatorem : Concionator eſt vox miniſterialis, cùm Dei ad populum ſeu Eccleſiam, tum populi ſeu Eccleſiæ ad Deum. Dei quidem ad Eccleſiam, prædicando; Eccleſię verò ad Deum, orando, invocando, & gratias agendo.

Subjectum occupans eſt auditor. Circa illum enim verſatur concionator, erudiendum ſcilicet & informandum. Alii vocant finem ϕ, *cui*. Auditorum itaq; discretionem habebit concionator.

Cap. 2. Naturæ dona requiſita in concionatore.

VIdimus præcognita: jam videbimus præcepta in Syſtemate & Gymnaſio.

Sicut in præcognitis conſideravimus finem, qui, & ſubjectum, in quod finis iſte introduci debet: ita juxta methodi Analyticæ normam in Syſtemate oportet conſiderare media, per quæ finis in ſubjectum introduci poteſt, debet. Itaque

Syſtema oratoriæ Eccleſiaſticæ præcepta tradit de mediis, per quæ legatus ſeu orator Dei ad hominem poteſt aſſequi finem ſuum.

Media illa ſunt numero duo: Natura & Cura.

Naturæ nomine quatuor continentur. 1. Bona animi & corporis temperies ac diſpoſitio ad cogitandum de iis, quæ perſuaſioni apta ſunt, & ad

cogitata proferendum. 2. *Memoriæ fidelitas.* Ne enim è ſcripto recitare licet, vel etiam prodes 3. *Vocis concinnitas.* 4. *Corporis quædam ſpectabilitas, & decens ad perorandum habitus.*

Hæc quatuor præſupponuntur neceſſariò in futuro oratore Eccleſiaſtico, ſi non excellentes ſaltem mediocriter. Plura requiruntur, ſed ea non ſunt dona naturæ. Requiſita illa diſtribuuntur quàm rectiſſimè pro tribus animæ facultatibus, INTELLECTIVA, CONCUPISCIBILI, & IRASCIBILI. *In intellectiva* eſt mens ipſa, quæ debet eſſe inſtructa his tribus. 1. *Sapientiâ* rerũ divinarum. 2. *Prudentiâ* in adminiſtratione proportione temporum, locorum, & perſonarum. 3. *loquentiâ* & facundiâ non Rhetorũ, non mundi ſed ſpiritus. *In concupiſcibili* parte animæ ſunt octo: 1. *Amor erga Deum & homines.* 2. *Amor erga virtutes,* & contrà odium peccatorum. 3. *Zelus* & deſiderium gloriæ divinæ atque ſalutis animarum. 4. *Contemtus mundi,* voluptatum, honorum, divitiarum. 5. *Miſericordia* erga ignaros & afflictos. 6. *Manſuetudo* & tolerantia infirmorum, inſciorum, aberrantium, & lapſorum. 7. *Fidelitas* in munere, cura, diligentia, ſolicitudo; ut faciat *diligenter & libenter.* 8. Hinc ſequitur *gaudium* è felici ſucceſſu, *dolor* ex infelici. *In irascibili* parte requiruntur quatuor: 1. *Spes* & *fiducia* in Deũ & Chriſtum. 2. *Timor Dei.* 3. *Fortitudo* Conſtantia, Magnanimitas: unde 4. παῤῥησία *libertas*

libertas loquendi. Horum omnium donorum conſervatrices ſunt *pura conſcientia*, & *animi humilitas*, quæ, teſte Auguſtino, eſt prima, ſecunda, & tertia virtus in Chriſtianiſmo.

Cap. 3. Præcognitio textus.

EXpoſita eſt natura: ſequitur cura, eaq; vel artis, vel exercitationis.

Hæc itaq; eſt illa triga, quib. vehitur & provehitur orator Dei ad homines, videl. *Natura, Ars, Exercitatio.* Natura incipit, Ars dirigit, Uſus perficit. Illa reddit habiles & diſpoſitos (Græci πεφυκότας dicunt) iſta faciles, hæc expeditos.

Cura artis traditur in Syſtemate, ubi & natura expoſita: cura exercitationis in Gymnaſio.

Cura artis percurrit quinquepartitum oratoris Eccleſiaſtici officium, videl. Inventionis, Diſpoſitionis, Elocutionis, Memoriæ, & Actionis: de quibus ſingulis cum Deo præcepta acroamatica in medium dabimus.

Inventio eſt primum concionatoris officium de textus ſeu materiæ electione, & expoſitione.

Formatio concionis eſt vel libera, vel textualis. Libera eſt, quæ non verſatur circa certum

aliquem Scripturæ textum, ſive locum, ſed e
bitrio concionatoris de aliquo loco comm
inſtituitur: ut cùm quis ſine ullo propoſito te
agit de Deo, de charitate, de vitâ æternâ. Hi
Eccleſia dicendi mos primitùs erat famil
quibusdam Patribus: ſed Patrum & noſtri
moriâ obſolevit, ita ut textualis formatio in
cleſiis reformatis locum habeat. Tractatur
& prælegitur certus aliquis Scripturę locus, qu
vocant textum, ad quem deinde concionis
poſitio dirigitur. Quapropter prima ſit ter
cura: quia illa eſt baſis, cui tota concio ſuperſt
& veluti centrum, è quo circumferentia ſeu a
bitus concionis extrui debet.

*Inventio textus eſt illius tum electio ſeu pr
gnitio, tum interpretatio ſeu recognitio.*

*Electio textus eſt illius præcognitio, quoad ſp
es, quæ ita habent.*

*Textus eſt vel ordinarius, vel extraordinar
ſeu, eſt vel datus, vel eligendus.*

*Textus ordinarius ſeu datus eſt, qui ordin
populo proponitur: idq; vel ordine temporis*, cujus
modi ſunt Textus Dominicales, qui in Germa
nicis Eccleſiis reformatis prælegũntur, *vel lib*
ſtatis diebus ad explicandum propoſiti. Hic o
dine à capite ad caput, à verſiculo ad verſiculum
illic ab Evangelio Dominicali ad Dominicale,
ſemper procedendum, niſi fortè gravis quædam
loc

loci vel temporis necessitas & ratio alium textum efflagitet.

Textus extraordinarius est, qui eligitur libero judicio concionatoris. Huc pertinent conciones nuptiales, funebres, & consimiles. In electione textus hujusmodi extraordinarii magnâ opus est prudentiâ. Non enim electionis mensura erit cerebrum concionatois, sed vita auditoris. Auditores præbent concionatori postillam realem, suâ vitâ, eaque vel dissolutâ, vel nondum satis dextrè institutâ. Deus item præbet postillam realem, suis beneficiis & judiciis. Eapropter concionator introspiciat vitam auditorum, & Dei beneficia atque judicia, & non aberrabit à janua, quod dicunt, in electione textus.

Uterq; textus, tam ordinarius, quàm extraordinarius est vel theticus, vel hypotheticus.

Textus θετικὸς, generalis, seu universalis est, qui rem ipsam tractat simpliciter, non aliquâ historiâ vestitam.

Estq; vel simplex, vel mixtus.

Simplex est vel theoreticus, vel practicus.

Theoreticus est, qui facit ad cognitionem veri & falsi. Illius ut discatur, hujus ut dediscatur.

Estq; vel didacticus, vel elencticus.

Didacticus est, qui ex primario suo scopo tantùm ad notitiam est comparatus, ita ut doceat de certo aliquo fidei articulo, seu capite & loco communi

SS. *Theologiæ*: ut de persona, vel officio Chri
fide, de Sacramentis.

*Elencticus est, qui ex primario suo scopo tan
ad redargutionem erroris alicujus est compara*
ut de Missa, de Purgatorio.

Textus practicus est, qui facit ad actionem bo

*Estq; triplex: vel παιδευτικὸς, vel ἐπανορθω
κὸς, vel παρακλητικὸς.*

*Textus παιδευτικὸς est, qui facit ad institu
nem in bono:* adeoque docet officium homi
Christiani.

*Textus ἐπανορθωτικὸς est, qui facit ad correc
nem sive emendationem vitæ;* adeoque dedoc
vitium.

*Textus παρακλητικὸς seu παραμυθητικὸς e
qui ex primario suo scopo propositam habet consol
tionem.*

*Textus mixtus est, qui partim theoreticus, p
tim practicus est.*

Omnis quidem textus ita potest explicari
faciat ad doctrinam, ad redargutionem, ad ins
tutionem, ad correctionem & consolationem
verùm è primario scopo dividitur in theoreti
& practicum. A principaliori enim fieri de
denominatio.

*Textus ὑποθετικὸς est singularis & historic
qui continet narrationem rei gestæ.*

Cap

Cap. 4. Recognitio textus Logica.

TAlis est præcognitio textus, quoad ſpecies: ſequitur recognitio.

Recognitio textus est illius interpretatio idealis.

Interpretatio idealis, ſeu idea interpretationis, est, quâ idea futuræ concionis animo præconcipitur, vel etiam in chartâ tumultuariè conſignatur.

Ea est tum Logica, tum Theologica.

Recognitionem Logicam hac methodo adumbramus.

I. Locos inventionis, prout traduntur à Dialecticis, in numerato habeat concionator. Varias autem methodos illorum petet è *lib. 1. oratoriæ noſtræ.* E tanta autem varietate ſeliget methodum, quam nunc deſcribemus.

II. Thema tractandum est vel ſimplex, vel compoſitum. Videat itaque concionator, qualénam in textu occurrat.

III. Thema ſimplex requirit argumenta declarantia, ſeu explicantia: compoſitum, probantia, ſeu demonſtrantia: utrumq; amplificantia. Itaque

IV. Thematis ſimplicis tractatio habet argumenta declarantia & amplificantia. Argumenta declarantia poſſunt peti è ſingulis locis Logicis. Ea loca conſiderantur vel ut ſolitaria, vel ut conjuncta. Ut ſolitaria, quando è ſingulis locis ſingulas fermè conciones formamus: ut de fide concionaturus poterit formare & habere concionem

de ejus cauſis, vel de ejus effectis, aliisve loc
Logicis. *Ut conjuncta*, quando quædam loc
conjungimus: ut, de fide dicturus, poteris ep
cauſas, effecta & contraria indicare. Eapropt
oportet primò colligere omnia & ſingula loc
Logica: deinde unum atq; alterum ſeligere: V
dicturus de fide, primùm percurrat omnes
ſingulos locos, deinde habeat locorum de
ctum. Conquiſitis argumentis explicantib
ſeu declarantibus conquirenda erunt *argume*
amplificantia, hoc modo: *Amplificationes è qu*
tuor potiſſimùm locis Logicis petuntur, & juxta
lorum locorum præcepta informantur: videl. 1.
contrariis; & dicitur amplificatio κατ' ἀντίθεσιν
2. *E comparatis*; & dicitur amplificatio κατὰ σύγ
κρισιν. 3. *Ex diſtributione*; & dicitur amplifica
κατὰ συναθροισμὸν, id eſt, *conglobationem*, ſive en
meration em: item κατὰ γένος, quando hypothe
revocamus ad ſuam theſin, tanquam ſpeciem ad
ſuum genus. 4. *E teſtimoniis*. Sed hoc totum i
intelligendum eſt, ut ἀντίθεσις, σύγκρισις, συν
θροισμὸς & teſtimonii adductio fieri poſſint i
reliquis locis omnibus. Opponi enim poſſu
contrariæ cauſæ, contrarii effectus, contraria ſub
jecta, contrariæ definitiones. V. g. *A Deo ſol*
non ab adjuvantibus Angelis creatus eſt hom
Hîc amplificatio fit per antitheſin contrariarum
cauſarum efficientium. Antitheſis materiæ tali
eſſe poteſt: *Non ex materia aliqua pretioſa, ſed*
lum

limo terræ creatum est hominis corpus. Antithesis formæ hæc esto: *Non per facultatem sentientem, sed per intelligentem homo est id quod est.* Antithesis finis: *Non propter ventrem, sed Dei gloriam homo est conditus.* Eodem modo opponi possunt contraria effecta, subjecta & adjuncta. Hæc talis antithesis mirum dictu quàm εὐπορίαν παραφράσεως sat patheticæ juvet. Sumamus summam Evangelii, quæ est *Johan. 3. v. 16.* quam hac antithesi paraphrasticâ orator Dei illustrare potest: *Ita,* adeò scil. non vulgariter, *Deus,* non homo, non princeps aliquis, *dilexit,* quum odisse potuisset, *mundum,* hostes nempe suos; *ut Filium suum,* non servum, *unigenitum,* non unum è multis, *dederit,* quem negare poterat, & nobis damnandis judicẽ præficere: *ut quisquis,* cujuscujus sit cõditionis, nationis, vel ordinis, *credit in eum,* non autem meritum operum jactat, vel in homine confidit, *non pereat, sed habeat vitam,* quum mortem promeritus sit, *æternam,* non autẽ menses annósve pauculos durantem. Hoc modo alia Scripturæ dicta illustrari & amplificari possunt. Ita enim contraria juxta se posita clariùs elucescunt, ut docet schola Logica. Eadem est ratio συγκρίσεως, *comparationis.* Comparari enim possunt pares, majores, minores, similes & dissimiles causæ, effectus, & alii loci. Per συναθροισμὸν amplificari potest hæc quæstio: *An omnes homines possint esse beati?* Sic, inquam, amplificatur:

Beati esse possunt tam senes, quàm juvenes; t agroti, quàm validi; tam fœminæ, quàm m tam Græci, quàm Judæi. Amplificatio per t monium est omnium fœcundissima. Si enim placeat concionatori, vel etiam necessarium tam causa, quàm effectum, & reliqua omnino gumenta omnia possunt amplificari vel illus testimoniis, & his quidem divinis, humanis rarò. Ethnicorum enim testimonia quando citanda sunt in confusionem Christianorum formulâ: *Quid, putatis, Cicero dicturus esset, s tam istam dissolutam videret? Exurget ill novissimo die, & condemnabit prævaricatos illo* quibus omnibus rectè colligitur, omnem a ficationem, sive fit ἐξεργασία, i. e. *brevior*, sive ἐξεργασία, i. e. *prolixior*, per hæc quatuor in menta Logica fieri, & unumquodque eorum omneis & singulos inventionis Logicæ l transire posse. Exemplum hoc habete, cand S. ministerii.

Lapsus Adami.

Est *thema simplex*, quod oportet explicari gumentis declarantibus, & amplificantibus.

Declarantia seligemus ex immensa argum torum copia duo, causas & effecta.

Hæc argumenta principalia deducenda p per quatuor præfecta instrumenta. Consider tur igitur causæ.

1 *Contraria*: Non Deus, sed Diabolus: N

imago Dei in homine, sed infidelitas, superbia, & intemperantia hominis in causa fuit.

2 *Pares:* Eva & Adamus. Sunt enim pares inter se.

3 *Majores:* Diabolus fuit causa princeps.

4 *Minores:* Adam, Eva, serpens.

5 *Similes:* Diabolus per cuniculos egit.

6 *Dissimiles:* Lapsus Adæ & Petri dissimiles sunt inter se quoad causam. In Petro enim fuit infirmitas.

7 *Distributæ:* Non solùm Adam peccavit, sed omnes illius hæredes naturales: ego & tu in lumbis Adæ sumus lapsi.

8 *Testimoniis sacris illustratæ.* Ad singulos enim locos afferri possunt testimonia.

Decurso & confecto primo hoc causæ efficientis spatio, concionator venire potest ad materiam, formam, finem: & dehinc ad effecta; quod postremum topicum valde urgebit & amplificabit præmonstratâ viâ. Ita enim non potest non diteſcere & splendescere oratio sacra.

V. Talis est tractatio thematis simplicis: sequitur tractatio thematis conjuncti, quæ exigit argumenta demonstrantia, seu probantia, & amplificantia.

Argumenta demonstrantia sic colliguntor. Oblatâ aliquâ quæstione demonstrandâ oportet eam dividere in subjectum & prædicatum, seu partem antecedentem & consequentem. Utraq; pars deducatur per singulos inventionis locos,

ita ut ne unus quidem relinquatur intactus. Atq
hæc est prima cura, quæ dicitur collectionis. A
tera cura erit selectionis. Conquisitis & in cha
rejectaneâ consignatis argumentis, deligantu
tria ad minimum, ad summum quatuor arg
menta firmiora. Neque enim sunt seligend
præsertim in negotio religionis centum arg
menta, quorum nonaginta novem sint defere
da. Ita namq; cadimus in irrisionem infidelium
& adversariorum, ut docet *Thomas*. Insignio
autem argumenta probantia sunt testimoniu
divinum, causæ, effecta, propria adjuncta, co
traria, paria, majora, minora, & definitio.

*Argumenta amplificantia in tractatione th
matis conjuncti peti possunt ex omnibus locis L
gicis.* Hîc oportet notare colligantiam & conc
tenationem prosyllogismorum, ut barbari
ganter dicunt: id est, connexionem argume
rum amplificantium. Exemplum esto tale:

An Pontifex Romanus sit vicarius Christi?

Argumenta pro parte negativâ, demonstra
tia vocant, peti possunt è loco causæ, effecti, a
junctorum &c. ratione subjecti & prædi
maximè tamen prædicati. Prædicatum enim e
major & potior propositionis terminus. N
contenti erimus uno duntaxat argumento pro
bante principali, quod ducemus à definitio
prædicati, hunc in modum:

Defin

Definitio vicarii Christi non competit Pontifici Romano. Ergo nec definitum.

Hoc est argumentum probans: jam sequuntur amplificantia. Construatur itaque definitio causalis: *Vicarius Christi est, qui ab illo est vocatus ad pascendum oves.* Hæc est amplificatio à causa efficiente & finali. Jam accommodetur ad Papã. *Sed Papa non est vocatus à Christo, neq; pascit oves Christi.* Hæc minor sive assumtio amplificatur ex effectis contrariis: quia Papa dominatur, quia arrogat sibi utrumq; gladium, secularem & spiritalem. Aliis commemorandis supersedeo. Atq; hoc exemplum volui esse vatem nostræ assertionis de tractatione thematis.

Cap. 5. Recognitio textus Theologica in genere.

Dicta est recognitio seu interpretatio textus Logica; Theologica sequitur.

Ea est tum generalis, tum specialis.

Generalis est, quæ in omni textu, qualis qualis ille sit, locum habet.

Recognitio generalis est inventio tum scopi, tum sensus.

Inventio scopi hanc habet regulã: Scopus cujusq; textus observandus est triplex: generalis, specialis, & specialissimus. Hic enim scopus est status ille, quò omnia referuntur. Notet itaque propheta

Dei, quis Scripturæ ſacræ ſit ſcopus, & quò referantur omnia.

Scopus generalis ſeu communis eſt, ad quem referuntur univerſa Scriptura: eſtq; fedus Dei. Hunc ſcopum ipſe S. literarum titulus præfert. Teſtamenti enim voce intelligitur pactum, fedus & conventio Dei cum homine. Fedus, inquam, Legale & Evangelicum. Ad Legem enim & Evangelium omnes & ſinguli S. literarum libri referuntur. Eapropter concionator fedus hoc, promiſſionem Dei, & repromiſſionē hominis ſemper reſpiciat & urgeat in concionibus ſuis. Hunc ſcopum S. literarū neceſſariò ſequitur conſolatio in vita & in morte in corde Chriſtiani, tanquam federati. Deus enim promittit, ſe fore κέρας μαλθείας, *copiæ cornu*, i. e. Deum & Patrem omnibus iis, qui credunt, fidemq; ſanctâ teſtatamento colunt vitâ. Sit itaque orator Eccleſiaſticus *concionator federis; nunc Legalis, nunc Evangelici.*

Scopus ſpecialis eſt, qui eſt cujusq; libri ſacri proprius. Hic colligi poteſt è primo cujusque libri capite: ut ſcopus ſpecialis Geneſeως eſt creationis mundi, & primę Eccleſiæ propagationis demonſtratio. Scopus libri Jobi eſt, oſtendere ſpectatam patientiæ. Scopus libri Pſalmorum continetur Pſalmo primo: videl. Quísnam mortalium ſit beatus. Scopus Eccleſiaſtis habetur c. 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Hunc ſcopum concionator in enarrādis libris utriusq; inſtrumenti ſemper

ſemper ſibi ob oculos ponet, ut videat, quomodo ſingula capita, propè dixerim, verſus in quocunq; libro collineent ad ſcopum iſtum ſpecialem.

Scopus ſpecialiſſimus eſt, qui eſt cujusq; textus proprius, puta vel capitis, vel verſus. Hic eſt ſcopus proximus; ſpecialis eſt intermedius; generalis, remotus. Ex iſto ſcopo proprio principalis doctrina eruenda & proponenda eſt. Hac enim ratione fiet, ut ſenſus non ſolùm futurus ſit orthodoxus, ſed etiam genuinus. Nec enim ſatis eſt ſenſum afferre orthodoxum & pium, ſed genuinum eum quoq; eſſe oportet.

Inventio ſenſus ſequitur, cujus notetur Cynoſura, & Medium.

Cynoſura textus eſt Analogia: & ea tum fidei, tum charitatis.

Sicuti nautæ reſpiciunt cynoſuram, Urſam illam minorem, vel potiùs ſtellam polarem: ita concionator hanc geminam in interpretatione S. literarum cynoſuram reſpiciet.

Analogia fidei continetur in articulis fidei: analogia charitatis in Decalogo. Symbolum itaque & Decalogus ſunt Epitome hujus analogiæ Theologicę. Illi adduntur Sacramenta, veluti ſigilla literis: huic accedit oratio Dominica. Examinet itaque concionator ad illa parva Biblia omnem interpretationem. Omnia enim credenda in S. literis reſolvuntur & reducuntur in ipſos fidei arti-

culos. Ipsi autem articuli non reducuntur in ali
Ex illis articulis tanquam elementis & princip
theoremata nostra derivamus : ex his demu
problemata resolvimus, non secus ac Mathema
tici è suis elementis, axiomatis & postulatis. In
tantò firmiùs, quantò in creatore, quàm in cre
tura, fundamentum solidius: in ipso universita
legislatore, quàm in lege quam præscripsit: N
turam philosophi vocarunt. In hos articulos i
pingere idem est, quod apud Mathematicos a
ἀγεωμ εἰς ἀδύνατον, exorbitare à ratione, à ve
Theologia. Sicuti autem omnia credenda red
cuntur & resolvuntur in articulos fidei: ita omn
facienda in præcepta Decalogi duabus tabu
comprehensa resolvuntur. Atq; hæc est analog
charitatis. Utraq; hæc analogia respicit gloria
Dei, & Ecclesiæ ædificationem, tanquam ulte
orem scopum. *Aug. l. 1. de doctr. Christ. c. 15.* Ne
enim orthodoxa censeri debet ulla Scriptura in
terpretatio, quæ vel gloriæ Dei, vel ædificatio
Ecclesię adversatur. Ratio: quia Spiritus S. con
Dei gloriam & hominum salutem nil planè u
in loco tradit.

Medium sive adminiculum eruendi sensus e
tum Precatio, tum Meditatio.

Precatio est, quâ à Spiritu S. tanquam Scriptu
bibliothecario, petimus mysteriorum divinoru
intelligentiam.

Meditatio est vel solitaria, vel socia.

Si

Solitaria est, quâ concionator suopte ductu inquirit sensum loci è scopo, ex natura rei, è cohærentia, seu antecedentibus & consequentibus circumstantiis, *& deniq; ex collatione locorum clariorum.* His namq; quatuor adminiculis verum & genuinum loci sensum eruere potest. Omnis enim interpretatio, quæ elicitur vel è scopo, vel è natura rei, vel ex cohærentia, vel ex collatione; aut certè ex hisce singulis conjunctim, non potest non vera esse & genuina. Hac ratione fit, ut primo intuitu, quod ajunt, judicare possit, num sensus proprius, vel figuratus sit admittendus. Quoties enim verba propriè intellecta absurditatem pariunt, quæ sit contra analogiam fidei & charitatis, tropicè accipienda sunt. Vide *August. l. 3. doctr. Christ. c. 16.* Sic v. g. si quis illa verba Christi apud *Johan. 6. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis.* Si quis, inquam, hæc verba propriè velit accipere, perinde fecerit, atque si quis illud poëtæ, *Prataq; rident*, propriè interpretetur. Parere autem ista verba propriè accepta absurditatem, docet ipsa rei natura: cui addo scopum loci, cohærentiam & collationem.

Meditatio socia est, quâ concionator consultum it alios authores: qui vel orthodoxi, vel heterodoxi. Est equidem operæpretium aliorum cogitata introspicere, (plus enim vident oculi quàm oculus) sed hîc opus est magnâ prudentiâ; ut non

videamus, quis dicat, sed quid dicatur. Propter magnorum interpretum dicta & expositiones debemus examinare ad analogiam illam duplicem, & quatuor meditationis solitariæ capitis paulò antè explicata.

Cap. 6. Recognitio textus Theologica in specie.

SEquitur recognitio textus Theologica specialis quâ inveniuntur argumenta juxta variatos textus genera.

Ejus duæ sunt partes: Quæ, & Quomodo afferenda sint argumenta.

Quænam argumenta sint afferenda, docet hic canon: Argumenta afferantur è Bibliis magnis & parvis.

Biblia, ut discimus in schola Catechetica, sunt vel magna, vel parva. Illa veniunt nomine Testamenti Veteris & Novi: ista Catecheseως.

Argumenta quæ è Bibliis magnis afferuntur sunt tria: S. Scriptura Dicta, Exempla, & Similia. Hæc sunt Topica illa Biblica.

Testimonia Scripturæ sunt præcipua cõcionum fundamenta: de quorum citatione hi sunt canones.

I. Dicta Scripturæ non sunt accumulanda. Ratio canonis: quia ostentationem quandam præfert ista dictorum congeries. Imò memoriam auditoris turbat. Peccant itaque, qui nulla citant dicta: peccant & illi, qui nimis multa.

II. Testimonia citanda sunt appositè. Appositè autem citatur, quod facit ad nostrum institutum.

III. Si auditores dictum citatum videantur non intelligere. (Captus enim auditorum est Postilla concionatorum) *addenda est explicatio, hac formulâ adhibitâ:* QUASI DICAT.

IV. Formalia, ut vocant, *Scripturæ verba sunt citanda: præsertim cùm emphasis quædam esi in verbis vel singulis, vel universis. Sed ubi sensus tantùm aut res ipsa potiùs spectantur, quàm verba, non est anxiè de verbis laborandum.* Sic historiæ sacræ non citantur ad verbum, sed libero sermonis fluxu à concionatore recensentur, retentis tantùm iis formalibus, quibus singularis ἐνέργεια inest. Sic v. g. Si cites *Ezech. 37. caput* de resurrectione mortuorum, non est quòd de puncto ad punctum singulos versiculos recites; satis est summam si indices, retentis insignioribus sententiis: ut *v. 5. 6.*

V. Citationi dicti, præsertim insignioris, *continuè subjiciatur ejus encomium, sensus, emphaseos explicatio & ad præsens institutum accommodatio.*

VI. Patrum testimonia non sunt alleganda: nisi auditorum vel profectus, vel defectus id exigat. *Profectus:* quando scilicet sunt eruditi. *Defectus:* quando sunt Papistæ, vel recens è Papismo conversi. Tunc enim harmonia confessionis Patrum & nostræ ostendi potest. Testimonia itaq; Patrũ non ad probationem, sed ad collationem & illustrationem faciunt.

VII. Ethnicorum teſtimonia non ſunt citanda ad probandum, ſed ad excutiendum ſtuporem populi. Id fit hoc modo: Si ethnici ita ſenſerunt, an non turpe exiſtimabimus, Chriſtianos iſta ignorare, quos certè meliora & ſcire & facere decebat? Et hoc quidem citandi genere ipſe Salvator uſus legitur *Matth. 6. v. 21.* Deinde oſtensâ illorum in rebus divinis ignorantiâ & cæcitate, ſcripturarum excellentiam populo commendemus eumq; ad gratiarum actionem pro patefactione divina exhortemur.

Exempla, quæ afferre debet concionator, ſint ſacra, ſelecta, accommodata, & pauca.

Sacra: quia profana non nota ſunt populo.

Selecta: quum enim in ſacris multa ſint, oportet eorum habere delectum.

Accommodata: quæ omnib. ſuis circumſtantiis, aut ſaltem plerisque, propoſitionem confirment. In his exemplis commoretur nonnihil concionator, & hypotypoſi ſeu proſopopœia ſuis perſonam ipſam introducat loquentem: ut, *ſi nunc viveret Abraham, David, Petrus, quid dicturus ad te? Certè reprehenſurus ſecuritatem. Ego coram Domino ita vixi, diceret Abraham. David diceret: Recede à malo, & fac bonum. Petrus diceret: O vos ſecuri, cur ita vivitis?* Vel ſic: *Adesdum David, & tuo exemplo nos doce. Quæ tu feciſti in rebus adverſis?* Ad ſummam: In omnibus concionib. tribuet orator Eccleſiaſtico perſona

personæ, vel rebus sermonem, quasi jam coràm concionentur, doceant, consolentur, objurgent: ut Abrahamo, Davidi, Christo; surdis, mutis, cæcis, quòd sanati hortentur nos vel ad considerationem miraculi, quomodo sit confirmanda fides, vel ad imitationẽ sui exempli, in agnoscendo peccato, & in eo deprecando. Huc etiam pertinet revocatio thesεως ad hypothesin. Quoties igitur dictum vel exemplum citat concionator, sic applicabit: *Ecce ista dixit vel fecit Deus, non tantùm huic, sed etiam nobis dicit, tibi, mihi, & aliis. Te vult ita punire. Tu es ille David, Abraham, Manasses.* In citatione dictorum etiam hæc formula observari potest: *Non ego vos moneo, sed Deus, sed Paulus. Deus vos ita consolatur. Audite Deum loquentem.*

Pauca denique sint exempla, duo, tria, quatuor. His contentus erit concionator, & hoc Epiphonemate claudet exemplorum allegationem: *Plura quidem possem, non tantùm vetera, sed etiam recentia, & quidem domestica afferre, quæ intra muros nostros sunt, quæ fuerunt: sed quia plus satis nota sunt, remitto vos ad domesticorum illorum exemplorum cogitationem.*

Hoc dicendi genus per exempla est valde efficax. Mollissimè enim suadetur exemplis. Illa enim quum sint αὐτοψιαὶ, adeoque singularia, efficaciter docent, delectant & movent.

Similia, quæ afferre debet concionator, sint 1. *rebus notis deducta.* 2. *Apta.* Non longè pe 2. *Selecta*, non multa. Ita fiet ut similitudines rificam populariter docendi, delectandi, & m vendi vim habeant. Hîc primas tenent simili dines Biblicæ.

Argumenta è Bibliis parvis etiam affere sunt. Quum enim prudentis doctoris sit ignot notis docere, illa per hæc probare, utique ope pretium faciet concionator, si è capitibus Ca cheticis argumenta probantia & moventia pe in singulis concionum generibus, uti patebi sequentibus.

Jam expedienda est altera quæstio, quomodo afferenda argumenta? Respondetur hoc canon. Sicuti thematis tractandi varia sunt genera & argumentorum. Tot itaque species sunt arg mentorum, quot thematis sive textus, de quib suprà *c.* 4.

Sunt igitur argumentorum quinq; classes: 1. G *neris didascalici.* 2. *Elenctici.* 3. *Pædeutici.* 4. *panorthotici.* 5. *Consolatorii:* de quibus singu breviter & perspicuè dicemus.

Cap. 7. Topica generis didascalici.

ARgumenta sunt vel theoretica, vel practica. Argumenta theoretica sunt, quæ pertinent ad textum theoreticum.

Sun

Suntq; vel didactica, vel elenctica.

Andreas Hyperius scripsit Topica Theologica, in quibus praxin Logices in SS. Theologia ostendit. Ad eundem modum Theologia Prophetica, sive Rhetorica Ecclesiastica sua etiam habet Topica, propria illa. Nam communia omnibus concionum generibus jam sunt tradita.

Argumenta didactica sunt, quæ afferuntur in tractatione thematis didactici. Suntq; tria topica, seu tres eorum classes. Nam *argumenta*

Ea sunt vel insita, vel assumta.

Insita sunt, quæ in textu fundata sunt.

Ea adhibentur his formulis usitatis additis: *Pulchrè hic textus confirmat hunc vel illum Symboli Apostolici articulum.* Item: *Atq; hinc colligimus, verissimam esse, quam Ecclesia nostra profitentur, doctrinam.*

Argumenta assumta sunt, vel dicta Scripturæ, vel rationes è capitibus Catecheticis collectæ. De illis suprà egimus: de his ita habendum. Quoties aliquod religionis caput est probandum, ad capita Catechetica recurrendum. Exempli gratiâ: *Christus est verus Deus.* Rat. 1. è Symbolo: *Quia in illum credimus.* 2. Ex eod. *Quia est Filius Dei.* 3. Ex eodem: *Quia judicabit mundū.* 4. Ex Institutione Baptismi: *Quia in ejus nomine baptizamur.* 5. Ex Institutione S. Cœnæ: *Quia instituit Sacramēta.* Sic procedendum est in aliis thematis compositis probandis: in thematū simpliciū explicatione res

eodem habet modo: *ut, convenientiam & differentiam V. & N. T.* scilicet ostendes:

Convenientia consistit in his novem capitibus.
1. Unus est Deus. 2. Una Ecclesia. 3. Una communio sanctorum. 4. Una peccatorum remissio. 5. Una resurrectio. 6. Una vita æterna. 7. Una eademq; Decalogus. 8. Unum Deum invocamus. 9. Habemus utrobiq; sigilla federis.

Differentia posita est in his membris.

1 Veteres credebant in Christum, qui nasci, pati & resurgere debebat: nos in Christum, qui jam natus, passus, & resurrexit.

2 Sacramenta V. T. erant plura & operosiora Sacramentis N. T.

Cap. 8. Topica generis elenctici.

ARgumenta elenctica sunt, quæ afferuntur ad tractationem textus elenctici.

Hîc iterum sunt tres classes argumentorum, sive tria topica: videl. Textus, Scriptura, & Catechetica capita. Sunt itaque

Argumenta vel insita, vel assumta.

Insita, quæ fundata sunt in textu.

Argumenta assumta sunt vel parallela Scripturæ dicta; vel rationes petitæ è capitibus religionis Christianæ: v. g. *Corpus Christi non est ubique.*

ubiq;. Argument. 1. E ſymbolo. *Quia natum ex Maria virgine, aſcendit in cœlum.* 2. Ex inſtitutione S. Cœnæ: *Chriſtus adfuit diſcipulis in inſtitutione S. Cœnæ; proinde non in pane, non ubique.* Ita poſſumus probare coram populo, Papiſtas graviter errare, ſi ſpectemus ſymbolum Apoſtolicum, Decalogum, & cætera capita.

Cap. 9. Topica generis pædeutici.

FUerunt *argumenta theoretica: ſequuntur practica, quæ pertinent ad tractationem thematis practici*, adeoq; ſunt ethica & pathetica, hoc eſt, delectant partim, partim movent.

Suntque pædeutica, epanorthotica, & conſolatoria.

Argumenta παιδευτικὰ habent topica generalia, vel ſpecialia.

Topica generalia.

Argumenta ſunt vel inſita, vel aſſumta.

Argumenta inſita ſunt, quæ occurrunt in ipſo textu.

Aſſumta ſunt vel dicta Scripturæ, vel capita Catechetica.

E capitibus Catecheticis ita licebit argumentari:

Sanctè vivamus.

Arg. 1. è Symbolo. *Quia ad hoc creati, ad hoc*

redemti, ad hoc ſanctificati ſumus. Chriſtus nobis crucifixus eſt. Ergo ne denuò ipſum crucifi-mus. Verſamur in Eccleſiâ. Ergo ne nos exclu-mus. Deus remiſit nobis peccata. Ergo ne relap-mur in cœnum peccatorum. Reſurgemus aliquan-do. Ergo vitemus peccata. Credimus vitam æ-nam. Ergo hîc piam vivamus vitam, adeoq; æ-nam illam inchoëmus.

II. E Decalogo: *Deus nos eduxit ex Ægy-Ergo ne recurramus in Ægyptum. Deus hoc da-mandatis. Ergo obſequamur.*

III. Ex oratione Dominicâ: *Deus eſt Pa-noſter. Ergo agamus quod filios frugi decet. eſt in cœlis. Ergo omnipotens, adeoque poten punire. Petimus ut ſanctificetur nomen ejus, tamen reapſe blaſphemamus. Petimus ut ad-niat regnum ejus &c.* & ita per totum oration lius contextum.

IV. E Baptiſmo: *Utinam Baptiſmi noſtri cordaremur, Deo nos obſtrinximus jurejuran nos velle abrenunciare Diabolo.*

V. E Cœna Domini: *Hoc facimus in Chri recordationem, & ut ſit ſymbolum fraterna ca-ritatis. Num autem impiè vivendo recolimus me-moriam Chriſti? Num invidendo & calumnian fovemus ignem charitatis?*

Eodem modo probatur hoc thema: *Dan ſunt eleemoſynæ.* 1. E Symbolo: *Quia ſumus fi-tres, habentes eundem Deum Patrem, eandem ma-*

tre

trem, Eccleſiam. 2. E Decalogo: *Si non paviſti, occidiſti.*

Topica ſpecialia inſtitutionis.

I Ad pœnitentiam moventur auditores, tribus modis:

1 Exaggeratione iræ divinæ & peccatorum.

2 Hypotypoſibus: videlicet deſcriptione ultimi judicii; imagine Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum ad pœnitentiam invitantium.

3 Graphicâ deſcriptione agonis, & varii horroris, qui nos invadit animam agentes.

II. Ad amorem Dei incitantur auditores duplici ratione:

1 Amplificatâ ejus pulchritudine: quæ oſtendendâ eſt ex ejus cum creaturis collatione.

2 Oſtenſis variis beneficiis, communibus & ſingularibus.

III. Ad commiſerationem erga proximum movetur auditor:

1 Exaggeratione calamitatis.

2 Hypotypoſi perſonæ miſeræ.

3 Hypotypoſi ſeu imagine Chriſti, ac ſi ille ante oculos noſtros ſtaret, & peteret eleemoſynam, & promitteret remunerationem.

IV. A facili, honeſto, utili, jucundo ducuntur argumenta hujus generis.

Cap. 10. Topica generis epanorthotici.

TOpica generis epanorthotici ſunt generalia, & ſpecialia.

Generalia ſunt textus, alia Scripturæ loca, & capita Catechetica: uti patet è ſuperiori capite. Hæc enim in genere inſtitutivo & correctivo ſunt communia.

Topica ſpecialia habent hos canones.

1 Exaggeratio admiſſi peccati primo loco ponatur, & ira Dei depingatur.

2 Hypotypoſis pœnæ addatur.

3 Miſericordia Dei commendetur.

Hujusmodi objurgationes miniſter verbi divini non ſuis, ſed Spiritus S. verbis concipiet, dicens: *Non mea, ſed Spiritus ſancti hæc ſunt verba. Dicamus itaque cum publicano gementes: O Deus propitius eſto mihi peccatori! Agite, mente & voce ſequamur regium Prophetam Davidem, & dicamus è Pſal. 51. Miſerere mei.*

Cap. 11. Topica generis conſolatorii.

GEneris conſolatorii topica generalia ſunt textus, loca Scripturæ, & capita Catechetica, è quibus hæc mirum dictu quàm ſuaves ſuppeditent conſolationum fontes.

Pau-

Pauperem ita erige. *Deus te creavit. Ergo & ſuſtentabit. Filius redemit animam tuam. Ergo & corpus paſcet. Es in Eccleſiâ, in civitate illâ Dei, ubi habes panem ſpiritalem. Itaque macte, Deus dabit eſcam ventris. Deus tuus Pater in cœlis eſt. Itaque cœlum faciet exaudire terram, & terra exaudiet fruges.*

In tentationibus ſic procede: *Deus eſt omnipotens. Ergo quid faciet tibi mundus? Chriſtus pro te mortuus eſt. Ergo ne extimeſce mortem. Deus remiſit tibi peccata. Ergo ne deſpera.*

E Symbolo ſeptendecim conſolationum fontes in æſtuantes animas derivari poſſunt.

E primâ parte ſex hoc modo.

1 *Si credimus, Deum eſſe omnipotentem, qui omnia creavit, credamus quoque eum nos creaſſe, eum nobis omnia immittere.*

2 *Si credimus, Deum eſſe omnipotentem, credamus quoque Deum nobis in noſtrâ neceſſitate adeſſe.*

3 *Deus eſt omnipotens. Ergo omniſcius, & hâc ratione noſtras novit calamitates.*

4 *Deus eſt Pater. Ergo nos amat.*

5 *Deus eſt creator cœli & terræ. Ergo non ſolùm vult, ſed etiam poteſt opitulari.*

6 *Si Deus creavit cœlum & terram, utique gubernat, adeoque illis mandare poteſt, ut nobis proſint.*

E ſecunda parte quatuor oriuntur fontes co
ſolationum, hoc modo.

*1 Deus Pater nobis inimicis dedit Filium. E
nobis reconciliatis propter ipſum dabit omnia.*

*2 Chriſtus nos redemit ſuo ſanguine. Ergo
patietur nos rapi è manibus ſuis.*

*3 Chriſtus pro nobis paſſus eſt. Ergo ne extim
ſcamus dolores inferni, & caſtigationes D
patienti animo feramus.*

*4 Chriſtus pro nobis paſſus eſt. Ergo illius
gini per crucem reddamur conformes.*

E tertiâ ſymboli parte ſeptem quaſi dimac
conſolationum fontes.

*1 Credimus in Spiritum S. qui eſt paracletu
ſter, & arrha ſalutis. Ergo non poſſumus per
æternum.*

*2 Credimus Eccleſiam, quæ eſt corpus m
cum Chriſti, & civitas Dei, adverſus quam
ferorum quidem portæ ſint prævalituræ. Ergo
damus nos eſſe Dei domeſticos, adeoque in
collocatos.*

*3 Credimus ſanctorum communionem, qui
omnia læta & triſtia ſunt communia. Ergo
afflictus ſciamus pios συμπάσχειν, & pro
Deum orare: quæ ſanctorum interceſſio quum
beat liberaliſſimam Dei promiſſionem, non
non magno nobis eſſe ſolatio.*

*4 Credimus remiſſionem peccatorum. Ergo
lamus nubila triſtitiæ, & ſimus bono animo.
tus enim vir, cui remiſſa ſunt peccata.*

5 *Credimus resurrectionem carnis. Ergo cogitationes tristes de morte corrumpente corpus nostrum facessant.*

6.7 *Credimus vitam æternam. Ergo transit gemitus cum fine, venit lætitia sine fine. Itaq; 1. Dolores nostri non erunt perpetui. 2. Læta sequetur catastrophe, & permutatio.*

Topica specialia consolationis hunc habent canonem.

1 Exaggeratio promissionum divinarum, earumq; certitudo ponatur ob oculos.

2 Hypotyposis personarum & sanctorum, qui similia passi sunt, addatur.

3 Hypotyposis vitæ æternæ subjiciatur.

Alii ita procedere jubent: Ostendatur 1. A quo immittatur crux. 2. Ad quid: videlicet ut sit Schola, in quâ discamus quid nos simus, quid Deus sit, quid peccatum sit, quid Dei verbum & fides sit. Solvatur etiam objectio de crucis diuturnitate. Ad hoc genus pertinent conciones funebres.

Ex his patet, quomodo textus practici moveant affectus, qui sunt 1. Pudor, contritio & pœnitentia. 2. Odium peccatorum, mundi & Satanæ. 3. Consolatio, lætitia, spes. 4. Amor Dei, proximi & virtutum. 5. Timor Dei, metus pœnarum & judicii divini. 6. Misericordia & compassio erga afflictos.

Cap. 12. Dispositio concionis duplex.

EXposita est *Inventio*, primum concionatoris officium: *sequitur Dispositio, quæ est aptarum inventarum collocatio, & partium concionis inter se connexio.*

Ejus considerantur species & partes.

Species sunt hæ:

Dispositio est textualis, vel dogmatica.

Dispositio Textualis est, quando propositionis loco ponitur ipsa textus divisio: ut si quis tractaturus de miraculo Christi, promittat se dicturum de antecedentibus, de miraculo ipso, de consequentibus; & ad singulas partes singulos vel etiam plures locos communes sive doctrinas afferat. Tum primò instituitur paraphrasis partis primæ; dehinc excutiuntur doctrinæ, quæ ex illa derivari possunt. Expeditâ paraphrasi partis primæ, venitur ad secundam.

Dispositio dogmatica est, quando propositionis loco ponitur locus communis, vel etiam plures loci in textu contenti: ut si quis tractaturus de aliquo miraculo ita proponat: *Dicam, auditores, de miseriâ hominis, ejus liberatione, & gratitudine: vel dicam de fide justificante, quam vos omneis & singulos habere oportet, si justificari, si regnum cœlorum ingredi, si ad Deum venire, & æternâ beatitate perfrui exoptatis. Quis autem vestrûm est qui non exoptat?* Hic principalis scopus est, hæc primaria

maria doctrina, cui probandæ inſerviunt ſingulæ ejus partes. Ad hanc perſuadendam omnibus viribus incumbet concionator.

Patet igitur, duplicem eſſe poſſe concionis alicujus diſpoſitionem. Sed utra melior? Hîc docti in diverſas abiere opiniones. Qui textualem præferunt, ſic inferunt. Textus eſt veluti fons concionis. Iccircò illius partes primo loco ponantur, & quomodo ex illis doctrinæ ſeu loci communes fluant, oſtendatur. Accedit, quòd textus explicatio prætermittitur, ſi ſtatim in locum communem irruatur. Pro dogmaticâ diſpoſitione alii ſic diſputant. Illud propoſitionis loco ponendum eſt, quod in confirmatione probandum, & auditorio perſuadendum. Atqui locus communis ad auditorii uſum accommodatus, in confirmatione probandus, & auditorio perſuadendus eſt, non verò ipſa textus diviſio. Ergo: Adde, quòd propoſitionem dogmaticam auditores ad ſeſe pertinere putabunt. At ſi doctrinas eruas è partibus textus, *puta de regulo, de illius familiâ, de Chriſto*, auditores putabunt eas ad ſeſe non pertinere. Denique in diſpoſitione dogmaticâ obſervatur ordo Rhetorum. Primo enim loco eſt Exordium: ſecundo Narratio, quæ propoſitioni paraphraſticam textus explicationem, ſed brevem illam, præmittit: tertio loco eſt propoſitio, ſive ſtatus; dehinc confirmatio. Noſtra ſententia ita habet: Textualis concionandi via eſt

facilior, ſed minùs perfecta, ſive artis præcep
ſive Eccleſiæ ædificationem reſpicias. Confu
dit enim, ſi artem ſpectes, narrationem cum pro
poſitione: ut, ſi enarrandus ſit textus Joh. 4 de re
gulo, ea quæ de regulo & ejus ſervis dicēda ſun
ad Narrationem propriè pertinent. Perperam re
tur ad propoſitionem ſemper trahuntur. Deinde
Narratio cum ipsâ confirmatione confundetur.
Etenim cùm aliqua pars textus poſt propoſitio
nem textualem paraphraſticâ narratione expli
catur, annon narratio confirmationis locum ob
tinet, cùm tamen hæc, non illa, immediatè ſequi
debeat propoſitionem. Tertiò admittitur in una
concione duplex, vel triplex narratio, quod ni
tioſum. Quot enim ſunt partes textus, tot narra
tiones paraphraſticæ ſubjungendæ ſunt: quam
unica & non interrupta debeat eſſe narratio. Sic
nec textualis proponendi via facit ita ad ædifica
tionem ut dogmatica. Nam quæ in aliorū pec
nis proponuntur, minùs attenduntur, quàm ea
quæ ad nos directa dicuntur. v.g. *Dicam, audi
res, de fide, quæ vobis omnibus, quotquot ad Deum
venire ſatagitis, eſt neceſſaria.* Hoc eſt παθητικώ
τερον, quàm ſi dicam: *De fide Reguli verba facia
Deinde paraphraſticâ illâ methodo obſervata
fieri non poteſt, ut ullum doctrinæ Chriſtianæ
caput ſeu locus communis populo plenè explica
tur. Etenim ſingulis partibus ſingulæ doctrinæ
ſubjungendæ ſunt. Et ita fit, ut ad affectus cien
do

dos ista paraphrastica ratio concionandi minùs sit accommodata. Cùm enim semper unâ textus parte absolutâ ad aliam rem transitus sit parandus, concionator necesse habet affectuum impetum sistere, & in materiâ dissimilis argumenti novum affectum (quod difficile est) induere: denique amplificationes, quæ vel solæ affectus cient, omittere oportet: unde totam concionem interciſam frigidioremque effici necessum est. Est itaque dogmatica dispositio maximè ad præcepta Rhetorum, & ad ædificationem Ecclesiæ comparata. Nihilominus in textibus historicis prolixioribus, dispositio textualis observanda est: ubi aliàs narratio fieret longior, si dogmaticè disponeretur textus.

Cap. 13. Exordium.

Dispositionis partes sunt numero sex, Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio.

Exordium est prima concionis pars & veluti vestibulum.

Est q; remotum, vel proximum.

Exordium remotum non pertinet ad contextum concionis. Continet q; tria, Votum, Excitationem, & Lectionem textus.

Hoc Exordium remotum concionator peculiare habet. Non enim in umbraculis Scholarum

hujusmodi Exordia locum habent, ſed in cæ
drâ Eccleſiaſticâ.

Votum concipi ſolet his formulis: *In nomi
Patris, Filii & Spiritus ſancti, Amen. Auxil
noſtrum eſt à Domino, qui fecit cœlos & terr
Amen. Gratia, pax, & miſericordia à Deo P
noſtro creatore; Jeſu Chriſto, noſtro Redemtore
Spiritu ſancto, noſtro Sanctificatore, ſit nobi
in omnes ſeculorum æternitates, Amen.*

*Excitatio eſt, quâ auditorum animi exc
tantur.*

*Tres ejus ſunt particulæ: Scopus, Miſeriæ hom
indicatio, & Imploratio divini auxilii.*

Scopus indicatur his modis: *Ut ſcopum mi
congregationis aſſequamur, qui eſt, ut nomen
ſanctificetur, regnum ejus inter nos amplifice
ſancta ejus voluntas à nobis fiat; nos verò in
infirmâ roboremur, in vitâ emendemur, nequ
ſolemur in vitâ & in morte: oportet nos cont
tere ad ſummam Dei majeſtatem.* Item: *Con
nimus in nomine & ex mandato Dei, hoc ſun
ipſum honoremus auſcultatione verbi ipſius
conceptione precum, adeoq; ut ipſum nobis in
loquentem audiamus, & viciſſim cum ipſo par
ces loquamur.*

Miſeriæ indicatio ſtatim ſubjungitur. Pri
quidem formulæ ita: *Scimus enim quanta ſit
ſeriæ noſtræ magnitudo. Cæcutimus in ſacris.*

steriori sic: *Quum verò in divinis nulli simus, agite convertamus nos ad Deum.*

Imploratio divini auxilii sic informatur. *Rogemus itaque Deum, ut ille nostras mentes illuminet radiis & fulgore Spiritus sancti, ut verbum ipsius intelligamus: præparet corda nostra lapidea, ut verbum intellectum amemus, retineamus, adeoque non solùm auditores, sed etiam factores simus. Quare agite me orationem Dominicam recitantem suspiriis ad Deum sequimini.*

Lectio textus continuè subjicitur.

Hìc notetur præambulum sive exordium valdè afficere auditorem, si è visceribus textus sumatur: ut si enarrandus sit textus *Luc. 16.* de epulone, sic potest informari introitus: *Convenimus, charissimi, hoc nomine, ut audiamus Mosen & Prophetas, ne perveniamus in locum ignominiæ, quo pervenit epulo, sed unà cum Lazaro ab Angelis deportemur in sinum Abrahæ. Sed conscii nobis sumus nostræ infirmitatis. Opus itaque est divino auxilio, quod ut impetremus, Deum precemur, ut aures nostras & corda purificet &c.* Hâc ratione in aliis textibus oportebit scopum in primo limine ponere.

Tale debet esse exordium concionis remotum: sequitur exordium proximum & propriè dictum.

Exordii considerabimus finem seu scopum, & media ad finem ducentia.

Finis Exordii est, ut auditorum animos red mus benevolos, attentos, & dociles. Tres ita Exordii sunt particulæ, Benevolentia, Atten Docilitas.

Media ad illum finem ducentia sunt duo, V stas & Brevitas.

Venustas Exordii consistit in Inventione & D positione.

Venustas Exordii alia est in dispositione dogm ticâ, alia in Textuali invenienda.

In dispositione dogmaticâ Exordium petitur è præsenti textu, vel aliunde.

E præsenti textu; cùm commendamus text ab utilitate & necessitate propositionis seu doctr vel auditorem ipsum jubemus intueri in pr thema in ideâ cordis sui: ut, *considerate ipsi, aud res, quid amabilius, quid ad consolationem ef cius dici poterat?* Hîc duo providenda: 1. Nec dium à propositione sit alienum. 2. Necum positione sit idem. Sit, uno verbo, affine & cog tum: ut dicturus de pœnitentiâ in exordio ob dat, quòd in eo capite & universæ religion salutis nostræ cardo versetur.

Aliunde petitur Exordium, cùm amabiles ditori inventiones proponuntur, eæque tempo loco, & auditorio accommodatæ. *Licet in exordiri à circumstantiis personæ, loci & tempo*

Personæ, tùm dicentis, tùm audientis. Et di tis quidem hoc modo: quando de nostro ergo

ditores amore & officio aliquid præfamur. *Rom. 1. v. 9. Col. 1. v. 9. Audientis verò hoc modo:* cùm ab illorum laude ordimur. Vide *Actor. 24. v. 10. c. 23. v. 2. & 26. Rom. 1. v 8. 1. Cor. 1. v. 4 Act. 2. v. 14. Rectissimè feciſtis, quòd frequentes cõveneritis. Placet in Chriſto. Et verò præclarum habemus textum.*

A circumſtantia temporis: quando beneficiorum vel judiciorum Dei præteritorum vel præſentium in concione tractandorum mentionem facimus. Sic in feſto Nativitatis Exordiũ ducetur ab illo Angeli: *Annuncio vobis gaudiũ magnum.*

A circumſtantia loci: quando dicimus occaſionem nobis datam eſſe in hoc vel illo loco.

Exordiũ præmittendum propoſitioni textuali, aliud eſt in textu ordinario, aliud in extraordinario.

In ordinario ordimur 1. A cohærentiâ. 2. A ſcopo textus, ut in parabolis. 3. A ſcripturæ dicto. ſummam textus in ſe comprehendente: ut ſi ſit textus *Matth. 8.* de cibatis poſt auditum verbi hominibus, exordium duci poteſt ab illo dicto *Matthæi 6. Quærite regnum Dei &c. In hoc dicto conſideretur præceptio & promiſſio. O verò beatos illos, qui hæc intelligunt! Atqui illa duo in hoc textu proponuntur. Attendite igitur ſedulò.* 4. A brevi repetitione eorum, quæ in præcedenti textu dicta ſunt. 5. A commendatione textus.

In textu extraordinario ordimur ab indicatione occaſionis, ſeu cauſæ impulſivæ, quâ moti præſentem textũ proponimus: ut ſi concio nuptialis

alicujus Ecclesiastæ sit habenda,& textus sit
1.Cor.9. v 5. exordium potest esse hujusmo
Convenimus, auditores, ut virum Ecclesiastæ
sacro conjugii initiemus: id quod Patrum nostro
memoriâ, & etiam nunc apud Papistas grande
tatur nefas. Ut igitur quid hâc de re piè sentien
sic intelligamus, selegimus hæc D. Pauli verba
concione. *In his enim se & reliquos viros Apo*
cos in exemplum proponit, quid ordinis Eccles
viris sit usui. Sic cùm quis repentinâ morte oc
derit, ad concionem funebrem Pastor seliget
test concionem Christi *Luc.13.* hoc exordio:
ra mandavimus fratrem miserabili morte
ctum. Hâc de re varia procul dubio inter vo
cogitationes, judicia varia. Ergo ne peccemus
ciis parum æquis, proderit verba Christi pens
ubi similem habemus casum.

Sic fuit venustatis exordii inventio: sequ
dispositio ejus & œconomia, quæ partes plerum
habet quinque: quarum

Prima est πρόθεσις, *propositio*, id est, sentent
vel verbis nostris, vel aliquo scripturæ dicto
citata.

Secunda est αἰτιολογία, confirmatio propos
sententiæ.

Tertia est αὔξησις, *amplificatio per occupati*
nem, seu adversativam.

Quarta est Ἀπόδοσις, *repetitio*, atq; adeò tran
itio ad propositionem nostram.

Quin

Quinta est ἀξίωσις, *petitio*; ut, Attendite.

Hæ partes aliquando invertuntur, aliquando brevitatis causâ quædam omittuntur.

Talis est exordii venustas seu elegantia: sequitur de ejus brevitate, de quâ canon:

Exordia duarum, trium, aut ad summum quatuor periodorum ambitu absolvere debemus. Hæc brevitas faciet, ut Exordia non sint splendida, non ornata, non amplificata, non grandia: sed simplicissima & naturalissima. Peccant igitur qui cum magniloquentiâ exordiuntur.

Cap. 14. Narratio.

EXordio subjicienda est per commodam transitionem narratio, qua est paraphrastica textus prælecti expositio.

Cicero narrationem vocat fontem omnis orationis reliquæ. In narratione enim res, de quâ agitur, exponenda est, seminaq; argumentorum in confirmatione tractandorum, spargenda sunt. Ea non est necessaria in textu thetico, in quo thesis, id est, doctrina generalis, ad omnes homines spectans proponitur. In textu hypothetico est necessaria.

Estq; vel totalis, qua dicitur summa; vel partialis, qua continet partes historiæ.

Cap.15. Propositio.

PRopositio est tertia concionis pars, quâ audi breviter aperimus, quid in concione expe & ad sui ædificationem attendere debeat.

Propositio non sine causâ dicitur status, sco & caput concionis. Est enim instar cancello intra quos & concionator dicendo, & auditor diendo sese contineat.

Propositio est dogmatica, vel textualis.

Propositio dogmatica est, quando proposi locum obtinet ipsa doctrina, seu locus commun concionator explicaturus textum *Luc.17.* de cem leprosis, talem constituet propositionem gmaticam: *Dicam de initio, de incremen complemento Christianismi.*

Propositio textualis est, quando partes tex ponuntur, è quibus doctrinæ eruuntur: ut in dem textu talis erit propositio textualis: *scribitur hoc in loco 1. Leprosorum petitio. 2. Ch sti misericordia. 3. Leprosorum gratitudo & ing titudo.*

De propositione formandâ sunt regulæ gener seu communes, & propriæ.

Communes sunt, quæ utramque proposi nem, tàm dogmaticam, quàm textualem con nunt.

Pro

1 *Propoſitio debet cum textu reciprocari.* Propoſitio enim ſuo ambitu totum textum continet.

2 *Propoſitio debet eſſe aridiſſima.* Nullâ itaque rerum vel verborum copiâ ornanda.

3 *Propoſitio ex textu profluere, non inferri debet in textum.*

4 *Propoſitio eſt vel unica*, quando omnia ad unum quaſi genus revocari poſſunt: *vel multiplex, & dicitur partitio: quæ debet eſſe duorum, trium, aut ad ſummum quatuor membrorum.*

5 *Partes propoſitionis ita digerendæ ſunt*, ut *prima pars quaſi gradum præbeat ſecundæ, ſecunda tertiæ, tertia quartæ*: ut, ſi de fide ſit dicendum, talis inſtitui poteſt partitio. *1. quomodo fides accendatur. 2. quomodo per varias tentationes probetur. 3. quomodo vincat tentationes.*

6 *Propoſitionis partes eo, quo propoſitæ ſunt, ordine in orationis curſu perſequi, & ab unâ abſolutâ ad aliam transire oportet*, hoc modo: *Hucuſque de primâ parte, ſequitur altera.* Quâ parte nominatâ, nova attentio concitanda eſt, ita ut ſequentis partis neceſſitatem indicemus, & tractationis brevitatem promittamus.

7 *Partitioni ſubjicitur nonnunquam Invocatio Numinis*: idque cùm doctrinam neceſſa-

riam populo ſumus perſuaſuri, vel locum d
eilem explicaturi: ut de charitate dictur
tale votum prorumpere poterit: *O Deus C
me, Maxime, qui totus es amor, accend
amoris corda noſtra.* Si locus ſit obſcurus
le poterit eſſe votum: *Domine Deus, qui
miſiſti, te revelaturum myſteria tu time
bus, illumina mentes noſtras radiis & fulg
Spiritus ſancti tui, ut myſteria tua rect
telligamus, tibi in honorem, nobis in fructum.*

8 *Tractationem partis ſemper antecu
clara & tarda textus lectio, ubi continetur
pars.*

*Hæ ſunt regulæ communes: ſequuntur pro
propoſitionis textualis, vel dogmaticæ.*

De propoſitione textuali hæ ſunt regulæ.

1 *In textu thetico partitio facienda eſt ni
verſitate rerum:* ut prima pars eſt hortatio ad
dem, & ejus cauſam: ſecunda pars eſt hort
ad obedientiam & ejus cauſam; uti divid
teſt textus *Matth. 11.* Venite ad me &c. In
*pothetico ſeu hiſtorico ex diverſitate circu
ſtantiarum:* ut ſi textus ſit *Johan. 4.* de Re
lo; propoſitio generalis erit: *Agitur hic de m
raculo:* Propoſitio partialis ſubjungatur ita
*jus deſcribuntur antecedentia, connexa, & co
ſequentia.*

2 *Propoſitio textualis efficit concionem gen
mixti.*

Prop

Propositio dogmatica has habet regulas.

1 Propositio dogmatica est locus communis: ideoque utplurimum efficit concionem generis mixti.

2 Propositio dogmatica est dividenda, ejusque partes è textu illustranda & confirmanda sunt.

3 Propositio dogmatica sumitur, vel è scopo textus thetici: ut *Matth.22.* de nuptiis regiis: scopus est ibi: *Multi sunt vocati:* Propositio inde elicitur talis: *Dicam de electione: vel è paraphrastică textus hypothetici seu historici narratione:* ut *Matth.21.* narratio ita instituatur: *Describitur adventus.* Addatur propositio: *Exinde duo notanda. 1. De rege. 2. De subditis.*

Cap.16. Confirmatio & Confutatio.

SEquitur *quarta dispositionis pars, videl. Confirmatio, quâ conquiruntur argumenta juxta canones suprà traditos in quovis concionum genere.*

Confutatio est quinta pars, quâ falsæ opiniones redarguuntur. Estque propria genetis theoretici, didactici scilicet & elenctici. De eâ sunt canones.

1 Confutatio sit sedata & lenitate animi condita. Errant itaq; an insaniunt, qui adversarios vocant Diaboli filios, eos adjudicant damnationi, omninoq; acerbè tractant.

2 *Confutatio ſit brevis, & è textu eliciatur.*

3 *Non refutentur hæreſes obſoletæ, ſed quæ vicinià gliſcunt, adeoque noſtris auditoribus notuerunt.* Nam recenſere hæreſes ignotas, eas ſerere.

4 *In confutatione oportet habere rationem & eorum quibus cum nobis res eſt.*

5 *Artificioſum eſt in ipsâ confirmatione occurrere objectioni.*

Hæc paucis de confutatione: jam pluribus de confirmatione. Illam enim non habent omnes conciones, hanc habent.

Confirmatio eſt vel Explicatio, vel Demonſtratio, vel Applicatio: ſive ſenſus & uſus.

Explicatio eſt propoſiti textus, ſi difficilis ſit illuſtratio.

Ejus canones ſunt:

1 *Explicatio pro varietate textuum varia & ipſa.* In textibus hiſtoricis & moralibus ſola paraphtaſis vicem explicationis ſupplet. Quando autem obſcuritas eſt in propoſitionis vel ſubjecto, vel prædicato, vel utroque ſimul, vel etiam in ipſo loquendi modo, tùm ſenſus eſt indicandus. Exempla habe ſis iſta. Enarraturus *Pſalm.* ſolâ paraphraſi contentus erit. Obſcuritas in ſubjecto eſt *Matth. 5.* Niſi *juſtitia* veſtra abundaverit. Obſcuritas in prædicato eſt in verbis illis ſymboli: Deſcendit *ad inferos.* Obſcuritas in utroque eſt *Johan. 1. In principio erat* λόγος. In phra-

ſe

seu modo loquendi est obscuritas *Luc. 12. Cingite lumbos vestros.* Quomodo hîc sit procedendum, in scholis discere debet concionator.

2 *Si textui praesenti siniſter sensus affingatur, profuerit initio statim errorem sobriè refutare, & postea verum sensum subjicere,* hâc formulâ: *Non ut Pontificii volunt: quia &c. Sed,* &c. ut *Johan. 1. v. 1. Sermo* hîc non significat consilium Dei, sed secundam deitatis personam.

3 *Si textus admittat plures interpretationes, genuina est seligenda, & populo inculcanda.*

4 *Demonstratio explicationis petatur è contextu, & collatione aliorum scripturæ locorum,*

De textus propositi demonstratione hic est canon.

Cùm textus vel fidei aliquem articulum, vel praeceptum aliquod morale continet, & per se clarus est, tum non expositione opus est, sed demonstratione thematis per dicta & exempla.

Explicationem & demonstrationem proximè excipit Applicatio, quæ est veluti anima concionis.

Applicatio est accommodatio textus expositi ad auditorum usum.

Partes ejus duæ sunt: Deductio loci communis è textu exposito, & ostensio usus istius loci.

Sicut aliud est parare pharmacum, aliud applicare: ita diversissimæ sunt istæ applicationis partes.

Deductio seu electio loci communis habet hos canones.

1 *Loci communes sponte suâ fluant è textu.*

2 *Loci communes fluunt è textu, vel per se, vel per bonam consequentiam.*

3 *Si multi loci communes sese offerant, non omnes & singuli erunt simul tractandi, sed principales & magis necessarii à minus principalibus distinguendi.* Illos urgere, hos inspergere debet concionator.

4 *Non omne id, quidquid de loco aliquo communi dici potest, illico afferendum: sed quæ in textu occurrunt de præsenti materiâ, excutienda sunt.* Sæpe tamen si res ita postulet, loci communes plenius quàm textus exigit, sunt tractandi.

Quomodo in specie loci communes theoretici & practici tractandi sint, è superioribus de inventione traditis claret. Unum velim hîc notare confirmationis diversam esse rationem in dispositione textuali & dogmaticâ. Ibi doctrinæ enuntiantur è singulis partibus, adeoque expositio præcedit doctrinam: hîc doctrinæ præmittuntur, proinde textus posteriori loco explicatur.

Sequitur altera applicationis pars, videlicet usus locorum; sine quo doctrina seu locus communis nihil est aliud quàm idea Platonica. Sicut autem locorum quinque sunt genera: ita & usus. Est igitur

Usus alius locorum theoreticorum, alius practicorum.

Ibi sunt doctrina & redargutio: hîc institutio, com-

correctio, & consolatio. In singulis duo observabimus regulas & formas.

Usus locorum didacticorum seu dogmaticorum habet has

I. Regulas. 1. Ostendatur usus loci propositi in capitibus Catecheticis: quomodo faciat ad illustrationem alicujus articuli, vel Sacramentorum explicationem. 2. Commendetur doctrina, & fiat exhortatio ad constantiam.

II. Formulas: ut, *Videte, dilecti, quàm felices sumus, qui hoc mysterium intelligimus. O beatos nos omnes, qui scimus voluntatem Dei! Agamus Deo gratias pro hujus doctrinæ revelatione. Notate hodie hanc doctrinam, domi inculcate. Hoc dicto fidem vestram fulcite.*

Usus locorum Elencticorum habet

I. Hanc regulam: Absolutâ confutatione deploretur error adversariorum, moneanturq; auditores, ut Deum orent pro illis, simulac gratias ipsi agant pro luce verbi sui.

II. Has formulas: Ne sinatis igitur, charissimi, vos seduci. O errorem noxium! O nos beatos, qui meliorem sumus docti sententiam.

Usus locorum practicorum seu moralium in genere habet hanc observationem: Expeditâ institutione, correctione, vel consolatione protinus subjiciatur spiritalis exercitatio, quæ erit directa ad Deum, & animam fidelem. e. g. si fit adhortatio ad bona opera, subjiciatur talis exercitatio:

Domine Deus, Pater cœleſtis, tu largire gratiam ut poſſim facere tuam voluntatem. Tu verò, mi anima, excitare ad Deum laudandum. Eodem modo in correctionibus & conſolationibus procedat concionator.

In ſpecie autem uſus locorum inſtitutivorum habet I. Has regulas. 1. Urgeatur bonorum operum neceſſitas. 2. In qualibet adhortatione ad bona opera quinque indicentur. 1. Quid fieri debeat, & quales eſſe debeamus. 2. Quid interim faciamus, & quales ſimus. 3. Adhortatio, ut ſimus ſeu fiamus tales. 4. Præmiorum & pœnarum hypotypoſis ſeu repræſentatio fiat. 5. Addatur, quomodo poſſimus fieri tales, & quæ ſint impedimenta, quò minùs tales facti ſimus aut fiamus.

II. Formulas iſtas: Dictum nobis, fratres, patemus. Ecce iſta dixit vel fecit Deus, non tantùm tunc, ſed etiam nunc: te quoque ita amabit, ita puniet: tu es iſte David, iſte Abraham. Et ô beatos omnes illos, qui ita vivunt! Item: Facilè quidem eſt hic concionari, ſed non facilè eſt facere. Te, te, ô homo, hoc attingit. Dulciſſimis hisce cogitationibus è præſenti textu vos domi oblectate. Inſiſtite veſtigiis Davidis: Excitate animam veſtram. Deus vos orat, monet, invitat. Audite Spiritum ſanctum, Paulum. Cogitate, quid dicatis in oratione Dominica &c.

Uſus

Usus locorum correctivorum habet has

I. Regulas: 1. Non nominatim taxandus est ullus. 2. Omnis objurgatio sit querela, non expostulatio iracunda. 3. Objurgationi subjiciatur consolatio pro fractis animis. 4. Non solùm objurgationem mitigat querela, sed etiam hęc quatuor:

1 Si personam nostram immisceamus.

2 Si ipsos, quos reprehendimus, judices faciamus.

3 Si Scripturā ipsam loquentē introducamus.

4 Si nos excusemus, cur alios objurgare audeamus.

II. Formulas: Quis vestrûm non abhorret à tanto scelere? Quis vestrûm non execratur homicidium Davidis? Sed quilibet in seipsum descendat. Teipsum examina, & dispice, annon in simili peccato hæreas, & cogita apud te, Tu iste es. Mutato nomine tu reprehenderis. Si Deus cujusvis cor jam patefaceret, ô quàm multi forent rei! Va illis, qui Deum contemnunt! Ah optimi auditores, ne hoc faciatis. Quisq; sibi parcat. Ne contemnamus admonitiones Jesu Christi. Grave vobis erit aliquando comparere coram tribunali Christi, & horum omnium rationem reddere. Ah quantopere ibi dolebis! Ibi cogitabis: O si nihil essem! Non mea verba sunt, sed Christi. Cogitate pœnas, & promissiones. Cogitate invitationes Dei. Ego non auderem ista carpere, nisi haberem mandatum Dei. Audiant

hi tales, non me, ſed Dominum. Ethnici exurgent in ultimo judicio contra nos. Pudeat igitur nos, qui Dei verbum habemus, noſtra ἀδιαφόρητα. Obſecro *fratres, cur nos Chriſtianos appellamus? Quidquid tamen horum ſit, redite in viam, conſolamini vos exemplo Davidis. Lapſi eſtis cum Davide? cum Davide reſurgite.*

Uſus locorum conſolatoriorum habet hu

I. Regulas: 1. Praxis conſolationis frequentiſſima eſſe debet. Illuſtrat enim & concionem & mentes auditorum. 2. Conſolatio transferri debet ad uſum in precatione, cruce, tentatione & morte. 3. Quælibet conſolatio efferatur duabus partibus, quæ ſunt, Cogitatio & Dialogiſmus. e.g. In explicatione illius dicti, *Matth. 11. Venite ad me omnes* Fiat 1. Cogitationis hypotypoſis: *Cogita, quantũ hoc ſit, ô anima mea, vel mi frater, quòd filius Dei te vocat, quòd tam amanter te vocat, quòd tam benignè promittit refocillationem peccatoribus.* 2. Fiat dialogiſmus. *Cùm itaque Chriſtus tam amanter me invitet, veniam & ipſe. Equidem oneratus ſum multis peccatis: ſed præſto eſt, qui me reficiat. Domine Jeſu Chriſte, tibi patet porta mei cordis, pateat mihi porta tuæ bonitatis.* 4. Conſolatio mutatur in precationem hoc modo: Pſal. 23. Dominus eſt paſtor meus: Tu, Jehova, paſce me, tu me dirige &c.

II. Formulas: Si quis ad me veniat, & petat conſolationem in tentatione; ſi alius in tentatione;

ſi alius

si alius in paupertate: unde petam consolationem? Non aliunde, quàm ex hoc textu. Hæc est dulcissima doctrina. O si corda nostra caperent! O quàm lata illa essent in omni tentationum genere, in rebus adversis, in agone, quàm etiam in media morte! Hic hauriat consolationem, qui eget. Ah Domine Deus, quàm larga hæ sunt promissiones! Credite amici dilecti, apprehendite, & insculpite cordibus vestris. Super his dictis fundemus corda nostra, ædificemus fidem nostram. Sic demum firma & immota stabit, sic nunquam vacillabit, neq; in morte, neq; in ulla alia afflictione. Agite amici, qui afflicti estis, capite hinc consolationem; Si quis luctatur cum tentatione, arripiat hoc solatium. Vos qui tentationes nondum fortè experti estis, discite nihilominus, ut alios consolari possitis, ut & vos habeatis in casu necessitatis, quo vos erigatis. O utinam satis ampla corda haberemus, ad res tantas capiendas, ad includendam Dei benignitatem! Agamus gratias Domino nostro Jesu Christo. Apostolo Paulo &c. pro hac suavissimâ sententiâ. Absq; hac & similibus si foret, desperandum esset.

Cautio. Hîc observandum, terminos illos, Precatio, Crux, Tentatio, Mors, his literis posse in dispositione consignari P.C.T.M. neq; tantùm in consolatione, sed etiam in omni concione de bonis operibus, & in omni objurgatione locum habere: ut, si horteris aliquem ad bona opera, dices: *Cogita, si hoc & illud admiseris pec-*

catum, quomodo possis precari, Sanctificetur nomen tuum, & dicere cum Ezechia: Memento Domine quomodo coram te ambularim. Si pius fueris, in calamitate multò patientior, quàm alii, eris, in morte animosior. Quando precari voles, animo tibi obversabuntur mala ista dicta & facta, cùm in calamitatibus magnis, cùm in gravibus tentationibus, cùm in agone jacebis. Hæc sunt præcipua terriculamenta malorum. Tantùm minitare impio quatuor istas luctas. Nam cogitationes delictorum maximè occurrunt in conceptione precum, in calamitate, in tentationibus, & agone.

Cap. 17. Peroratio.

SExta & ultima dispositionis pars est Peroratio concionis conclusio, atq; illius quidam quasi portus.

Estq; vel proxima, vel remota.

Proxima est, quæ pertinet ad concionis contextum. Ea si rectè instituatur, magnam concioni affert commendationem & fructum. Rectè autem instituitur; *quando concionator finem ejus, & media ad finem ducentia perpendit.*

Finis Epilogi est, inservire memoriæ & affectibus auditorum: ut illi, quæ in concione tractata sunt, memoriæ mandent, & animis complectantur avidissimis.

Ad hunc

Ad hunc finem consequendum duo media sunt necessaria, ἀνακεφαλαίωσις & δείνωσις. Illa est pars conclusionis dogmatica, hæc pathetica.

Ἀνακεφαλαίωσις, recapitulatio, est brevis, tum propositionis, tum argumentorum, quorum maximè meminisse volumus auditores, repetitio.

Δείνωσις, concitatio, est affectuosa anacephalaioseως amplificatio, quâ in auditoribus affectum ad anacephalaiosin amplectendam commovemus.

De utraq; notabimus regulas & formulas.

Regulæ sunt: 1. Insigne aliquod atq; eminens, quod antea in tractatione non sit auditum, reservetur ad Epilogum: idq; dicendi genere graviori, interrogationum & exclamationum figuris constante exornatum proferatur. 2. Motus hîc accedat alacrior & vehementior, quàm in reliquo orationis cursu. Si vis alios inflammare, ardeas ipse oportet.

Formulæ claudendi sumi possunt, vel à dicto aliquo insigni, vel egregio simili, vel à futuro bono ineffabili, vel damno intolerabili, additâ coronidis loco, aut ad populum affectuosâ exhortatione vel dehortatione: ut, *Qui habet aures ad audiendum, audiat*: aut ad Deum, sive δοξολογία: ut, *Deo Patri unà cum Filio & Spiritu sancto sit laus, honor, & gloria in secula, Amen.* sive precatione & voto: ut, *Obsigna hæc, ô Deus, in pectoribus nostris!* Patheticum denique & efficax inprimis concludendi genus est,

cùm ex abrupto desinimus, & auditorem cum desiderio dimittimus, vicesque ulteriùs concionandi Spiritui sancto veluti resignamus, hoc modo: *Plantavi ego, auditores, feciq; quod meum est, jamq; desino: Deus, Doctor ille, qui cathedram in cœlo habet, vos intus doceat, verbum hoc in vobis vivificet, & incrementum det salutare, Amen.* Item: *Desinam ego nunc, amici dilectissimi, & finam ad vos concionari Spiritum sanctum; feci quod meum est, dignetur Dominus facere quod suum est in animabus vestris: rigavi ego & plantavi, det Deus incrementũ. Dicat Deus cordib. vestris, quòd ipse concionatus sit; quòd ipse fuerit pastor animarum vestrarum; ego nihil aliud, quàm ejus vox & sonus.*

Peroratio remota est, quæ non pertinet ad contextum orationis sacræ. Ea continet gratiarum actionem. Atq; hæc ad dispositionem pertinet, cujus hæc sunt summaria capita, quæ tanquam hermæ, id est, mercuriales statuæ, concionatori observanda veniunt.

I. EXORDIUM; cujus quinq; membra.

1 Πρόθεσις.
2 Ἀιτιολογία.
3 Αὔξησις.
4 Ἀπόδοσις.
5 Ἀξίωσις.

II. NARRATIO.

III. PROPOSITIO.

IV. CON-

IV. CONFIRMATIO; cujus membra

1 Ἔκθεσις ὅρων.
2 Ἀπόδειξις.
3 Usus.

V. CONFUTATIO.

VI. PERORATIO; cujus membra

1 Ἀνακεφαλαίωσις.
2 Δείνωσις.

Cap. 18. Elocutio.

SEquitur tertium concionatoris officium, Elocutio, quâ res concionis apto sermonis genere proferuntur.

Ejus quatuor sunt partes: Puritas, Perspicuitas, Ornatus, & Decorum.

Puritas est, quando verba simplicia & conjuncta sunt ejus linguæ propria, qua dicimus. Apagesis igitur, ô legate Dei, stilum forensem qui sapit Cancellariam potiùs quàm Ecclesiam.

Perspicuitas est, quando verba maximam partem sunt propria, & tropica insigniora. Huc etiam spectat periodorum brevitas.

Ornatus est in tropis & figuris.

Ex tropis in concione maximè dominatur metaphora. Hic enim tropus est omnium florentissimus, & ad movendum delectandumque accommodatissimus.

Figuræ ſunt dictionis, vel ſententiæ: de quarum uſu vide ſuprà *lib. 1. ſect. 3. & l. 4. c. 16.* Nonnihil tamen hoc loco dicam.

Concionator è figuris dictionis potiſſimùm utatur 1. Climace. 2. Anaphorâ. 3. Paronomaſiâ.

E figuris ſententiæ ſeligat undecim hæc ſchemata; quæ ſunt

I. Exclamatio. Ne tamen accumulet: quia interrumpunt variæ exclamationes contextum.

II. Interrogatio. Hæc habet vim ad movendos affectus, nec non facit ad orationis varietatem atq; connexionem. Ejus tractandæ modum diſcere eſt è Chryſoſtomo.

III. Apoſtrophe. Hæc inſigniter movet. Ea utimur in rebus arduis: ut, cùm calamitates Eccleſiæ exponimus, de improviſo orationem ad Chriſtum convertere poterimus, ut is ſponſæ ſuam reſpiciat. Vehementior eſt illa averſio, quæ fit ad res inanimatas, cœlum & terram: quâ utuntur ſancti Dei homines, Moſes, David, Jeremias.

IV. Compellatio ſeu contentio: quâ ipſis auditoribus, præſertim adverſariis, ipſam rem cognoſcendam & judicandam committimus, aut vel ipſe judicet, num res ita ſe habeat, ut dicimus.

V. Obſecratio, quâ in objurgationibus utimur.

VI. Adjuratio; cùm auditores conteſtamur per Dei nomen: id quod fit in rebus maximi momenti.

VII. Op-

VII. Optatio: ut, *Utinam aliquando illuceſcat dies, quo meos auditores videam tales!*

VIII. Suſtentatio, quâ ſuspendimus diu auditores: ut, *Quid deinde? quid cenſetis? Num diviteſ ſunt beati? Num qui ſapientiâ pollent?* Hæc figura ad amplificandum eſt accommoda.

IX. Dialogiſmus, quando perſonis tribuitur ſermo. Hac figurâ depingi ſolent admontiones Spiritus S; ſuggeſtiones Diaboli, hominum diſſolutorum voces. Hæc figura maximum concioni affert ornamentum. Sæpe itaq; concionator introducat Deum loquentem.

X. Proſopopœïa, quâ ſermonem attribuimus mortuis & inanimatis, ut Eccleſiæ, cœlo, terræ.

XI. Admiratio: ut, quando ingentem Dei amorem, hominum extremam ſecuritatem demiramur.

Decorum eſt, quo omnia peraguntur pro ratione circumſtantiarum.

Cap. 19. Memoria.

QUartum concionatoris officium eſt Memoria, cujus triplex eſt virtus: facilis impreſſio, fidelis conſervatio, & promta reminiſcentia ſeu redditio.

Firmitatem impreſſionis juvat hic canon: Tribus impreſſionibus concio ediſcatur. Primâ impreſſione infigatur methodus, quam velim tabellâ methodicâ conſignari. Deinde res præcipuè ediſcantur. Deniq; verba inſigniora.

Fidelis conservatio est, quâ memoria rem semel impressam retinet. Ejus medium est duplex: Amor, & crebra repetitio.

Redditio promta est, quâ memoria suum reddit depositum. Eam juvat exercitatio.

Cap. 20. Actio.

QUintum & ultimum oratoris Ecclesiastici officium est Actio, quâ concio disposita & memoriæ commendata promulgatur.

Estq; tum pronunciatio, tum gesticulatio. Duæ enim sunt actionis partes: vox, & gestus. Hæc pertinent ea, quæ ab oratoribus traduntur de utriusque decoro.

De voce seu pronunciatione hæc unica esto regula: Concionator utatur voce humaniter, hilariter, flebiliter, severè.

De gestu hic est canon: Manus & oculi diligentissimè regantur inter concionandum.

Cap. 21. Gymnasium oratoriæ Ecclesiasticæ.

EXposita est cura artis in Systemate Rhetoricæ Ecclesiasticæ: superest nobis cura exercitationis in Gymnasio hujus Oratoriæ.

Gymna

Gymnasium oratoriæ Ecclesiasticæ candidatum sacri ministerii manu ducit ad usum seu exercitationem.

Non satis est scire præcepta oratoriæ Ecclesiasticæ. Requiritur insuper istorum præceptorum usus.

Usus præceptorum hactenus traditorum est vel privatus, vel publicus.

Usus privatus est Lectio, Selectio, & Imitatio.

Lectionis hic est canon: Bibliotheca concionatoris quatuor scriptorum classes continebit, Sacras literas, Patres, Scholasticos, & recentiores quosdam.

Sacrarum literarum lectio ita instituatur, ut dicta memoriæ mandentur eâ linguâ, quâ concionari cupimus, & quidem quoad formalia.

E Græcis Patribus legatur *1. Chrysostomus*, quo nullus disertior. *2. Basilius Magnus*, quo nullus grandior & exquisitior. *3. Gregorius Nazianzenus*, quo nullus sententiosior. E Latinis legatur *1. Cyprianus*, qui eloquentissimus. *2. Augustinus*, qui maximè didacticus. *3. Bernhardus*, qui παθητικώτατος. *4. Hieronymus*, qui purissimus.

E Scholasticis legatur à futuro concionatore *1. Bonaventura* nervosissimus. *2. Thomas Aquinas* copiosissimus.

Ex recentioribus legantur *Lutherus*, in cujus

ſcriptis quidam veluti torrens Germanicæ eloquentiæ advertitur. *Johan. Calvinus*, & alii.

Selectio eſt eorum artificiorum, quæ ad concionandi uſum inprimis prodeſſe poſſunt, per certos titulos, ſeu locos communes digeſtio.

Volumen locorum communium Eccleſiaſticorum habet hanc regulam:

Duas in claſſes hoc volumen diſtribuatur. Prima claſſis ſit formularum, altera ornamentorum. Formulæ ſunt variæ ſecundùm varia concionum genera. Suntque 1. Narrationes hiſtoricæ. 2. Nunciationes. 3. Suaſiones. 4. Dissuaſiones. 5. Hortationes. 6. Dehortationes. 7. Præceptiones. 8. Accuſationes. 9. Defenſiones. 10. Laudationes. 11. Vituperationes. 12. Invocationes. 13. Petitiones. 14. Deprecationes. 15. Conſolationes. 16. Objurgationes. 17. Querelæ. 18. Excuſationes. 19. Expoſtulationes. 20. Comminationes. 21. Gratulationes. 22. Commendationes. 23. Pollicitationes. 24. Gratarum actiones. 25. Percontationes. 26. Conſilium. 27. Votum, optatio. 28. Imprecationes.

Secunda claſſis ornamentorum, habeat hos titulos: 1. Exordium. 2. Narratio. 3. Propoſitio. 4. Confirmatio. 5. Confutatio. 6. Epilogus. 7. Transitio. 8. Figuræ dictionis & ſententiæ.

Hi tituli ita conſtituti ſunt implendi memorabilibus rebus & ſententiis, quas in concionibus audimus, vel etiam hinc inde legimus.

Sequ

Sequitur imitatio, quæ est nostrarum concionum ad exemplum alienarum seu lectarum, seu auditarum apta conformatio. Hæc valde est necessaria: de cujus ratione & modo vide quæ hanc in sententiam scripsimus suprà *lib. 1. sect. 3.*

Talis est usus privatus, sequitur publicus, qui est concionis scriptæ promulgatio.

Promulgatio concionis est vel repræsentatitia, vel vera.

Repræsentatitia est, quæ habetur à ministerii candidatis in collegio concionantium: in quo sunt præses, palæstrita, & censor.

Vera promulgatio est, quæ habetur in cathedra Ecclesiastica.

Ea est prædicatio, & conceptio precum.

Prædicationis modum copiosè tradidimus.

Conceptio precum fit vel è libro, vel è materia proposita in concione. Atq; hic proderit observare ordinem 1. Capitū Catecheticorum. Nam precatio est vel Invocatio, vel Gratiarumactio. In precatione considerātur nostra peccata, itemq; Dei beneficia. Utraq; recenseri possunt juxta seriem capitum Catecheticorū. Gratiarumactiones eodē modo instituantur. 2. *Statuum vitæ humanæ:* videl. status OEconomici, Ecclesiastici & Politici.

PERORATIO ORATORIÆ Ecclesiasticæ.

HÆc sunt, quæ volui scribere in publicū de Oratoria Ecclesiastica: ubi secutus sum vitos o-

mni exceptione minores. Adhibui enim in c
ſilium Eraſmi Eccleſiaſten, Hyperium de
mandis concionibus, Perkinſi Prophetica
Bullingeri Prophetam, Zepperi artem conc
nandi, Keckermanni Rhetoricam Eccleſia
cam, Sculteti axiomata concionandi. Deum
animo rogo, ut veros verbi ſui præcones excit
imò ipſe nobis concionetur & in hac, & in futu
vita, Amen.

TA

I. Tabula generalis.



II. Idea Præcognitorum. Lib. I.

- Præcognita tractant de Oratoriæ
  - Natura, quæ cognoscitur ex ejus
    - Utilitate,
    - Designatione,
  - Studio: ubi de
    - Fine triplici.
    - Impediментis decem.
    - Mediis
      - Communibus,
      - Propriis.

III. Idea oratoriæ communis. Lib. II.

- Oratoriæ communis quatuor sunt partes:
  - Phylactica, de locis communibus. Sect. I.
  - Analytica, de resolutione. Sect. II.
  - Mimetica, de imitatione. Sect. III.
  - Synthetica, de compositione. Sect. IV.

IV. Idea Epistolicæ & Dialogisticæ. Lib. III.

- Oratoria propria familiaris est
  - Epistolica
    - Communis, de epistolæ
      - Definitione, *c.*
      - Communibus affectionibus, *c.*
      - Partibus, *c.*
    - Propria, de epistolæ
      - Generibus, *cap.*
      - Scriptoribus, *c.*
  - Dialogistica, *cap. 6.*

V. Ide


Flexanimæ, ſeu Methodi eloquentiæ.
Diſtributio in
Definitio, cap. 1.
Præcognita, cap. 2.
Syſtema, de oratoris officio, cujus 5. partes
Inventio
Argumentorum, quorum
Quæſtionis, cap. 3.
Theoria
Generalis, cap. 4.
Specialis, de genere
Thetico, cap. 5.
Hypothetico, cap. 6.
Statico, cap. 7.
Periſtatico, c. 8.
Praxis, cap. 9.
Dispoſitio
Generalis: cujus ſex partes,
Exordium, cap. 10.
Narratio, cap. 11.
Propoſitio, cap 12.
Confirmatio & Confutatio, c. 13.
Epilogus, cap. 14.
Specialis, cap. 15.
Elocutio, cap. 16.
Actio
Pronunciatio, cap. 17.
Geſticulatio, cap. 18.
Memoria, cap. 19.
Gymnaſium, c. 10.


Criticæ oratoriæ
Definitio, c.1.
Divisio, c.2. Est
Generalis, seu methodica
Directrix de
Correctrix, cujus
Partes c.3.
Modus c.4.
Natura linguæ Latinæ, c.5.
Idea oratoria
Demostheni-Ciceroniana, in
Genere, quoad
Divisionem, c.6.
Modos, qui sunt
Puritas, c.7.
Perspicuitas, c.8.
Ornatus, c.9.
Decorum, c.10.
Specie, quoad characteres, c.11.
ca, in
Genere, quoad
septem virtutes
cap.12.
octo partes
Specie de
Perspicuitate, c.13.
Magnitudine, c.14.15.
Venustate, Celeritate,
More, Veritate, Decoro,
cap.16.
Specialis, seu historica de exemplo
Perpetuo, quod est Cicero, cap.17.
Accessorio, cap.18.


Rhetoricæ Ecclesiasticæ
Præcepta de
Præcognita, cap. 1.
Natura, cap. 2.
Cura
Artis in Systemate, ubi explicatur oratoris officium, quod est
Exercitationis, in Gymnasio, cap. 21.
Inventio, quæ est textus
Dispositio, cujus
Elocutio, cap. 18.
Memoria, cap. 19.
Actio, cap. 20.
Recognitio
Præcognitio, cap. 3.
Logica, cap. 4.
Theologica in
Species
Genere, cap. 5.
Quæ sint invenienda argumenta, cap. 6.
Quomodo invenienda, ubi sunt Topica
Species, cap. 12.
Partes
Exordium, c. 13.
Narratio, c. 14.
Propositio, c. 15.
Confirmatio & Confutatio, c. 16.
Peroratio, cap. 17.
Generis
Didascalici, c. 7.
Elenctici, c. 8.
Pædeutici, c. 9.
Epanorthotici, cap. 10.
Cõsolatorii, c. 11.

CONSILIUM DE ADORNANDIS Locis communibus.

SUpra libro ſecundo tractavimus de locis communibus oratoriis: hoc loco de iis tractabimus in genere, hacque coronide ædificium oratorium exornabimus.

Duo ſunt diſcendi media: Obſervatio, & obſervatorum conſervatio.

Obſervatio eſt, quâ aliquid diſcimus ex magiſtris vivis, vel mutis: idq; vel domi, vel peregrè.

Obſervatorum conſervatio eſt vel principalior vel ſubſidiaria.

Conſervatio principalior eſt, quæ fit in mente & memoria.

Subſidiaria eſt, quæ fit in ſubſidio librorum, qui dicuntur Loci Communes.

Locorum Communium conſiderabimus neceſſitatem & modum.

Neceſſitas demonſtranda eſt contra eos, qui nullos locos communes adornant, nullos adornandos eſſe clamant, adornatos exſibilant. Demonſtratur autem iſta utilitas ab utili, eoq; quadruplici. Nam L. C. faciunt mirificè

1 Ad rem quamlibet explicandam. Si enim diſſerendum ſit de re aliqua, non neceſſum eſt ut eas conſultum varios authores, quum copioſam ſupellectilem habeas domi tuæ, hoc eſt, in locis communibus.

2 Ad m

2 Ad tractandas controversias in utramque partem.

3 Ad solidè judicandum de rebus.

4 Ad memoriam firmandam. Oppidò enim falsus est *Franciscus Gentiletus*, qui cuidam de Locis Communib. percontanti respondit, nullos locos communes esse colligendos, eò quòd memoria naturalis hac ratione negligatur. Oppidò, inquam, falsus est vir magnus. Subordinata enim non pugnant. Jam verò subordinata sunt, *memoria naturalis, & memoria subsidiaria*, h. e. Loci communes. Nam loci communes non sunt ignavum compendium, sed subsidium & signum memoriæ repræsentativum, quo memoriæ repræsentatur id quod potest excidere. *Tantum*, ait Cicero, *scimus, quantum memoriâ tenemus.* Jam verò homo aut est felici memoriâ, aut non est. Si non est, opus habebit subsidio. Si est, non tamen est ita felix, ut non sit obnoxius iis casibus, qui possunt memoriam affligere, quales casus sunt tres: 1. Curæ & perturbationes. 2. Morbi. 3. Senectus. Hæc tria enim faciunt, quò minùs possimus & fideliter & distinctè singula complecti memoriâ. Quæ quum ita sint, omnes omnium facultatum studiosi in id unicè incumbent, ut L. C. colligant. Ita enim fiet, ut in unico libro integram circumferant Bibliothecam. Ita fiet, ut in iis inveniant, quæcunque necessaria sunt. Sicut enim stellas suo in loco, qui est cælum,

piſces ſuo in loco, qui eſt aqua, inveniuntur: ita in locis communibus ſingula diſtinctè & plenè inveniuntur. Hanc enim ob cauſam nominati ſunt loci communes.

Modus locorum communium eſt conſilium, de illis rectè inſtituendis.

Hoc conſilium eſt triplex: generale, de locis communibus in genere; *ſpeciale*, de locis hujus vel illius diſciplinæ; & *idiomaticum ſeu ſingulare*, quod cujusque individui ingenio eſt attemperatum. Nos tribus verbis præcipiemus de locis communibus in genere, idque κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν. Primùm enim doctiſſimorum virorum judicia hac de re colligemus: deinde ad regiam & maximè compendiariam viam digitum intendemus.

Decem ſunt ſententiæ, quas quidem obſervavi, *de colligendis L. C.*

I. Sunt L. C. contractiores, quando ad Syſtema alicujus diſciplinæ interſertis chartis puris locos communes adornamus.

II. Multi ingentia & tricubitalia volumina & tomos conſuunt; quibus quidquid legunt audiúntve, vel indice alphabetario (ut quidquid de Deo occurrit, referunt ad D.) vel ordine arbitrario & tumultuario, conſignant. Hi ſumunt quidem laborem Herculeũ, ſed inanem, ſed talem, quo ingenio, memoriæ & judicio malè itur conſultum.

ſultum. Regulatum enim judicium ibi non poteſt eſſe, ubi eſt confuſio: nec memoria diſtincta, ubi eſt immenſum pelagus, mixtura ſcilicet quædam rerum Theologicarum, hiſtoricarum, politicarum. Iccirco, quisquis es, ſtudioſe apage ſis hunc modum.

III. Sunt (in quibus eſt Sturmius) *qui diſponunt locos communes juxta ſeriem prædicamentorum per certas diſciplinarum claſſes diſtinctorum:* ut nempe ſint vocabula vel res *Subſtantiæ, Quantitatis, Qualitatis* &c. idque in rebus divinis ſeu Theologicis, Ethicis, Logicis. Nam prædicamenta ſunt veluti loci communes, & tabulæ geographicæ. Sed & hic ordo comitem habet quandam confuſionem.

IV. Multi conficiunt Repertoria ſeu Indices variorum authorum, hoc modo: In manus ſumunt authorem, & conſtitutis certis titulis, vel ordine à capite ad calcem de puncto ad punctum, vel per indices legunt varios authores: & quæ occurrunt enotant. Nec verò hic labor pœnitendus eſt: ſi v.g. ſtudioſus habeat Repertorium ad Tacitum, Virgilium, Ciceronem.

V. Multi & ii magni viri in manus ſumunt authorem, eumq; ordine percurrunt, & prout quidlibet occurrit, in locos communes referunt: ad calcem verò concinnant indicem rerum memorabilium. e. g. ſi hodie aliquid legant in Cicerone de ſenectute, conſtituunt hunc titulum, *ſenectus*, &

reliquunt ſpatia vacua: ſi cras de bello, nov
conſtituunt titulum.

VI. Quidam ordine arbitrario certos cujuq
ſciplinæ conſtituunt locos; ut in Theologiâ de ſc
pturâ, de Deo, de Angelis &c. & ad hos refer
τὰ ἀξιομνημόνευτα. Id fecit *Zwingerus in Th*
tro vitæ humanæ.

VII. Multi diſponunt locos ſecundùm prae
Decalogi, & in ſingulis præceptis virtutes &
tia digerunt: ut *David Chytræus* & *Argen*
nenſes fecerunt. Sed hi loci duntaxat ſunt p
ctici.

VIII. Occurrunt Adverſaria, quæ aliàs
cantur Ephemerides, Diaria, Volumina mo
rialia, & Conjectanea. Modus in illis ſervan
eſt talis. Incipiendum eſt à certo aliquo a
tempore, & quidquid in vitâ quotidianâ occ
rit, notandum eſt, additis ſemper loco, tem
& perſonis. Nam tres iſtæ circumſtantiæ me
riam valde juvant.

Veteres pro ſingulis menſibus, vel trime
bus habebant hujusmodi diaria. Et certè pe
grinantes adverſaria uſurpare debent, & in
ſcribere titulum iſtius provinciæ, in quâ verſa
tur. exempli gratia, *adverſarium Germaniæ, Ga*
liæ &c. Domum reverſi poterunt omnia iſta
ordinem concinnum redigere.

IX. Sunt loci communes Gelliani. Eſt en
modus colligendorum Locorum commun
dupl

duplex, ſolitarius & ſocius. Solitarius eſt, cùm ipſi pro nobis ſoli ſcitu digna legimus & colligimus. Socius modus dicitur Gellianus, qui fit in collegio Gelliano: ubi tres vel plures ſtudioſi ſimilium ingeniorum, & parium profectuum eidem addicti facultati, æquè induſtrii & candidi conjungunt operas, & ſinguli ſingulos authores evolvunt de eâdem materiâ, domi inſigniora enotant, poſtea in commune conferunt ſuas annotationes.

X. *Ad extremum occurrit modus alphabetarius, qui ſic habet.* Conſtituantur certa capita cujusq; diſciplinæ, quæ vocantur alphabeta; ut alphabetum Theologicum eſſe poteſt hoc: *Deus, Angelus, Homo, Chriſtus:* in Ethicâ alphabeti loco eſſe poſſunt quatuor cardinales virtutes. Ad hos titulos referri poteſt, quidquid in iſtis occurrit diſciplinis.

Atq; hæ ſunt decem rationes colligendorum locorum communium, à doctis viris traditæ & uſurpatæ, quibus ſequentem tanquam facillimam & fructuoſiſſimam ſubjicimus.

Locorum communium conſideratur tùm ſtructura, tùm uſus.

Structura eſt partim adornatio, partim impletio.

Adornatio ſic habet. Studioſus aut certo in loco commoratur, aut peregrinatur. Qui peregrinatur, conficiet ſibi adverſaria, in quibus ob-

via quæque consignabit. Domum reversus singula rediget in certum ordinem. Qui cum in loco commoratur, sequentes monitiones notabit.

1 Quidquid est in toto mundo, potest referri ad aliquam disciplinam, sive sit res, sive verbum. Methodici itaque erunt L. C. si per disciplinas distinguantur, & tot locorum communium genera & volumina constituantur diversa ac separata, quot sunt genera diversa disciplinarũ. Qualis ergo ordo servatur in aliquâ disciplinâ, talis quoque erit ordo locorum communium. Volumen itaque L. C. in tot classes distinguetur, quot sunt partes disciplinæ, quam tractamus.

2 Titulus habeat suos subtitulos. Tituli majoribus, subtituli minoribus scribanturliteris.

3 Non est quòd quis pro singulis disciplinis singula paret L. C. volumina. Vitæ enim brevitas hoc non patitur. Itaque sic habendum. Studiosus omnis tractat disciplinam, vel normalem, vel realem: illa directiva, hæc objectiva dicitur.

Normalis est, quâ studiosus utetur in suâ disciplinâ, tanquam instrumento: ut Metaphysica, Logica, Ethica Theologiæ studioso est normalis.

Et hîc sufficiet locorum communium modus contractior, Realis autem disciplina est illa fa-

cultas

cultas, in quâ studiosus aliquando versari cupit. Et hîc requiritur peculiare volumen.

Impletio L. C. talis est: Quinque erunt cujusque tituli partes, videl. Præcepta, Quæstiones, Objectiones, Regulæ, Testimonia.

Usus locorum communium est in actionibus extemporaneis.

Sed manum de tabulâ.

FINIS.

Ne ſequentes pagellæ vacarent, adjeci nonnu
de Memoriâ & Actione oratoriâ.

ORatoria agit de orationis tùm formatione
tùm promulgatione.

Formatio abſolvitur Inventione & Diſpoſ
tione.

Inventio eſt tùm thematis, tùm argumen
rum.

Diſpoſitio fit ſecundùm ſex orationis par

Promulgatio fit mediante tùm Memoriâ,
Actione.

Memoria, eloquentiæ ille theſaurus & er
tionis theſaurarius, eſt Realis, Notionalis,
Verbalis.

Realis eſt, quâ res maximè memorabi
complectimur, easque vel in chartâ, vel in lo
notamus: ut ſi in oratione aliquâ hos termin
reales conſtituamus, Homo, Schola, Forum,
terfamiliâs &c.

Notionalis eſt, quæ utitur notionibus ſecu
dis quâ Logicis, quâ Rhetoricis, hoc modo. Or
tio reſolvatur in ſex partes, & ad ſingulas no
tur artificium tùm Logicum, tùm Rheto
eum

cum. exempli gratiâ:

I. Exordium, in quo

1 *Benevolentia*, à perſonâ auditorum, conſtans occupatione, vel aliâ figurâ.

2 *Attentio*, à materiæ commendatione, ubi Epizeuxis, vel Polyptoton.

3 *Docilitas*, ab ordinis & brevitatis pollicitatione, ubi ſit Anaphora.

II. Narratio, ubi

Cauſa impellens { Prima, cum ſuis figuris. / Secunda, cum figuris.

III. Propoſitio.

IV. Confirmatio, ubi

Ratio 1. à cauſa efficiente

Amplificata { Dicto, ubi communicatio &c. / Simili, ubi figg. / Exemplo, ubi itidem figuræ & tropi.

Ratio 2. &c.

V. Confutatio.

Argumenti { Primi / Secundi &c. ubi itidem tropi & figuræ.

VI. *Peroratio*, in quâ

1 Recapitulatio.

2 Affectuum concitatio, conſtans Exclama-tione, Addubitatione &c.

Hi ſunt termini mnemonici Logici & Rhe-torici.

Memoria verbalis eſt, quæ non tam ſenſum quàm formalia ſpectat.

Hîc in paucis valet natura, in multis defectus naturæ ſupplet tùm ars, tùm exercitatio.

Actio eſt vel externa, quò pertinent præcepta Ethica de Gravitate, Civilitate, Comitate, vel-ut-terna, quam regunt præcepta oratoria.

Actio interna eſt, vel princeps, vel minùs prin-ceps.

Princeps eſt pronunciatio, quæ commenſu-randa eſt præceptis Grammaticis, & Rhetoricis.

Præcepta Grammatica ſunt tria:

I Vox eſt articulanda, ut omnes ſyllabæ di-ſtinctè audiantur, nullæ abſorbeantur. Ideò vo-calium præcipua habenda eſt ratio, cum quibus conſonæ debent conſonare, hoc modo: A ampli-tudinem, E luctum cum timore, I tenuia, O in-rotundas itemque triſtes exprimit, U rebus ob-ſcuris & deformibus convenit: B D F amplitu-dinem orationi conciliant, C G Q aſperitatem & remorationem oſtendunt: L rebus mollibus & ſuavibus, R iræ, rixis, rebusq; aſperis, S rebus ſuavibus

ſuavibus, (ſed tamen quandam ſoni moleſtiam propter ſibilum continet) M rebus gravibus, N exilibus convenit.

II. Nomina propria, comparativi, ſuperlativi, pronomina, interjectiones, voce pleniore, clariore, ſyllabarumque tractu quaſi melodico proferantur.

III. Voces emphaticæ, in quibus aliqua excellentia & efficacia ſignificationis ineſt, eodem modo proferantur: qualia ſunt vocabula ſignificantia quantitatem, augmentum, vehementiam, ut tantus, quantus, immenſus, magnus, ingens; deſinentia in ax, oſus, undus, ut linguax, ſtomachoſus, populabundus.

Præceptum Rhetoricum ſic habet:

Vox commenſuretur tropis, figuris, & partibus orationis hoc modo:

I. Metaphora & Ironia ſunt maximè actuoſa troporum genera. Itaque voce pleniore & erectiore proferantur.

II. In figuris dictionis creſcat vox cum dictionibus repetitis.

III. In figuris ſententiæ vox ſit lenis & ſubmiſſa in blandiendo, fatendo & petendo; in miſeratione flexibilis, flebilis, interrupta: in ſuadendo, monendo, promittendo, gravis & fortis: in conſolando triſtis & ſubmiſſa: in laude & gratiarum actione læta, magnifica & ſublimis: in irâ acuta, incitata, nutans, vacillans.

IV. In Exordio ſit ſubmiſſa, lenis, verecunda, niſi contineat vehementem accuſationem, qualis eſt 1. Catil. Quouſque tandem, Catilina, abutere patientiâ noſtra? In narratione, aperta & ſimplex. In Propoſitione, clara & elata, ut ea probè inculcetur auditori. In Confirmatione varia & actior. In Confutatione ſeverior, & interdum ironica adeoque levis. In Peroratione, quaſi jam partâ victoriâ, non quidem clamoſa, ſed tamen excitata & triumphans.

Actio minùs princeps eſt Geſticulatio, cujus menſura eſt Pronunciatio.

Geſticulatio alia eſt totius corporis, quod erit erectum & ad auditores directum, alia partium, quales ſunt: 1. *Vultus*, animi illa pictura, qui erit liberalis, virilis, non vultuoſus. 2. *Frons*, quæ erit aperta, & nonniſi in triſtioribus corrugenda. 3. *Oculi*, ſatellites illi cogitationum, qui turbidis reb. triſtibus, læti in lætis. 4. *Cervix*, quæ erecta. 5. *Humeri*, qui erunt ſtati, non allevati, non contracti. 6. *Pectus*, quod nõ projiciatur. 7. *Brachia* quæ interdum projicienda, tanquam orationis tela. 8. *Manus*, quarum motus debet à ſiniſtrâ incipere, à dextrâ parte deponi. 9. *Pedes*, in quibus laudatur ſtatus.

NOTÆ.

I. *Libro 3. de methodo Eloquentiæ, Memoria, ubiq; erit collocanda ante Actionem, hoc ordine: Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio sive Actio.*

II. *Pag. 205. c. 2. lin. 6. pro systemate, lege præceptis. ibid. l. 8. sic lege: Oratoriæ Ecclesiasticæ præcepta tradunt de mediis.*